# BARZAEUS (Johannes) HEROUM HELVETIORUM EPISTOLAE (8481 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition de 1657, faite à Fribourg chez David Irrbisch. Celle-ci contient un certain nombre d'erreurs typographiques, que nous avons corrigées, quand c'était possible. La version numérisée qui en existe, plus fautive encore, ne nous a guère aidé.
Nous avons cru bon, afin de rendre le texte plus accessible au lecteur actuel, de 'moderniser' et d'unifier les graphies, de modifier la ponctuation, et de modérer l'usage des majuscules, surabondantes dans le texte ancien, à des fins, sans doute, allégorisantes et emphatiques.

## LIBER PRIMUS.

## DE PRIMARIIS QUIBUSDAM ASSERTORIBUS HELVETICAE LIBERTATIS.

### DE DOMUS HELVETO-HABSPURGIACAE MAJESTATE.

H1_01

Helveticas rumore novo quae perculit urbes,
perculit et nostros, nuntia fama, lares.
Candida Pegaseis haec nuper ut appulit alis,
multorum ambiguam, fecit in aure fidem.
Rumor erat bifidus, variique in plebe susurri,
fama tamen solus, tota, Rodolphus, erat.
Fama Rodolphus erat, vir gente Habsburgius, ortu
Helvetus, illustris sanguine, stirpe Comes.
Aegida cui Pallas, clipeum Bellona Pelasgum,
Alcides gladium, Mars dedit ipse sagum.
Quem velut Helvetica redivivum in carne Metellum
castra inimica horrent, agmina amica stupent.
Inclita qua molles ad Rhenum pampinat uvas,
et Basilea suo claret amoena situ.
Magnanimus, nec Marte minor, quam mente Rodolphus
sparsa, in Rauriacis, castra locabat, agris :
Jamque sibi infensos sensit Basilea maniplos,
et dura pressos obsidione focos.
Cum subito optatam Fama internuntia pacem,
et nova cum optata jubila pace, tulit.
Ipsa deaurata volitabat fulgida ralla,
signabantque imam talia verba stolam.
Romano Imperio, tot jam labentibus annis.
Quod sine Rege fuit, quod sine lege fuit,
egregium jam lecta dedit Francfordia Regem,
imperii summis Urbs habitata viris.
Palma Habsburgiaco cessit suprema Rodolpho ;
Helvetio famulas dat modo Teuto manus.
Ista peregrinae fuerant volitantia famae
symbola, inauratis symbola ducta notis.
Quae simul ac comitem penetravit fama Rodolphum,
Bellonae clausas ocius esse seras,

ferrea letiferi compescere frena Gradivi,
et paci tutas, praecipit, esse vias.
Ipse Numa gravior, nihil ista inflatus ab aura,
Caesarea dignas spargere fronte faces.
Condere mucronem, canere inter castra Receptum,
classica, et hostiles solvere pace tubas.
Plauditur ergo novo certatim Caesari, et omnis
Helvetiae festum plebs jubet esse diem.
Parcius ista quidem, nec tanto Principe dignus,
de fama memorat tam locuplete, stylus.
Sint Regi Regum meritarum encomia laudum.
Regia qui tanto dat quoque sceptra Viro.
At tibi quis meritas, Elector o inclite, grates ?
Quis referat curae praemia digna tuae ?
Cetera namque meam postquam suggessit in aurem
fama, diserto istos addidit ore sonos.
Ille, Moguntinam qui gestat vertice mitram,
scuta gerens graphica nobilitata Rota ;
ille Archipraesul, cui dat de jure supremum,
electoralis sessio et ordo, gradum ;
indolem ad astra tui dum fert, Hartmanne, Nepotis,
actaque conscriptos personat ante Patres :
induperatorem communia vota Rodolphum,
ordo Habsburgiacum vult sibi quisque Ducem.
Illius auspiciis, hoc Praesule agente, repulsam
sceptri Alphonsus habet, sceptra Rodolphus habet.
Quam vere humanas divina potentia fortes,
a mari, ad extremum dirigit usque mare !
Ille opifex mundi, qui res hominumque Deumque,
dum cecidere, levat ; dum tumuere, premit :
dum quasi desertum, generoso Caesare, regnum,
dum Romam insigni vult stabilire basi :
imperii fessos qui ferret alacrius axes,
impigrum ab Helveticis legit Atlanta jugis.
Ille potens animis, illi Mavortia virtus
naturae eximiis accumulata bonis :
hic vel centoculo dum stat vigilantior Argo,
commissum solita fulciet arte gregem :
inter enim Heroes, quos fert Europa, supremum
obtinuit, nullo non tribuente, locum.
Gratulor Imperio, quod in uno eodemque Rodolpho,
agnoscit veterum cuncta talenta Ducum.
Fortuna Augusti, Pompeii gratia Magni.
Audax Aemathii mensque manusque Ducis ;
Trajani pietas, et quicquid Roma decoris,
armipotens quicquid laudis Achaia tulit ;
electo stabilem posuere in Caesare sedem,
firmabuntque istam facta et agenda fidem.
Quanta per Helvetios, per et acres quanta Tribocos
sunt Habsburgiaca, parta tropaea, manu !
Irruit adversum quoties Rudolphus in hostem,
adverso toties victor ab hoste redit.
Olli semper idem pugnare ac vincere ; ab ipso
qui quasi victor adit, non nisi victus abit.
Utque virum noris, perpende insignia stirpis,
signato invenies congrua signa suo.

Explicat in medio sese imperterrita campo
   bellua, quae fulvas spargit utrimque jubas.
Ille timor nemorum, rex ille horrorque ferarum,
   nescius injecto vincula ferre jugo,
impavidi stirpemque notat geniumque magistri,
   et loquitur scuto, cui famuletur hero.
Talis in hostiles ruit ipse furitque phalangas.
   Qualis in objectam bellua fulva feram,
usque adeo obnixus ferro non cedere, summo
   vertat ut ipse sibi, non superasse, probro.
Nulla fatigatum viderunt castra Rodolphum,
   nec rhomphaea ullum, nec parit hasta, metum.
Actio siqua Viro superest generosior, addi
   se sine supremam, non sinit ipse, manum.
Indoleque heroa per muros milite fractos
   mavult, quam patulas urbis inire fores :
qualis ab Iliaco Caesar prognatus Iulo
   hinc obiit munus militis, inde ducis ;
munia sic belli subit unus cuncta Rodolphus,
   dux aciem verbo dirigit, ense praeit.
Consiliis Ithacus, dextra est Telamonius Ajax,
   Aeacides animo, Julius ipse sago.
Qui domet infidos, erit hic tibi Scipio, Poenos :
   qui reprimat Brennos, iste Camillus erit.
Inde triumphalem dudum statuere quadrigam
   numina, et emeritis laurea serta comis.
Atque ita decretos subit ipse, videtque triumphos,
   sese in Caesareo dum videt esse throno.
Gratulor Ordinibus, quos tanta ambage tuentur
   inter Hyperboreas, Teutona regna, plagas.
Haec membra Imperii, clavum moderante Rodolpho,
   cum vere Augustum sint habitura caput,
libera in antiquas poterunt emergere vires,
   auxiliatricem Caesare dante manum.
Qui Constantini viguere aetate, migrabunt
   rursus in optatos, ferrea saecla, dies :
sentiet esse sibi Patronum Ecclesia, et inter
   barbara, Tarpeiam proteget, arma, Petram.
Carolus alter erit, nec regni in ovile rebelles,
   admittet virtus tam generosa, lupos.
Quanta Viro pietas ! Quanta est reverentia Divum,
   dum vocat aetherios in sua vota choros !
Aequius haud alibi, sed nec venerantius ullum
   numinis ingenium terra Alemanna capit.
A Jove principium solitus captare Rodolphus,
   prima litat caelo munera, prima Deo.
Quam bene belligerae juncta hic stat libra Minervae !
   Quam bene fert sociam Palladis hasta Themim !
Vincit Aristidem cultura juris et aequi,
   Pompilium antestat relligione Numam.
Gratulor Helvetiae, quae quamquam illustria belli
   fulmina, et egregios germinat alma viros,
et Martis pullos, et dignas Hercule mentes.
   Parta quibus magnum gloria pandit iter.
Ut tamen Imperium tam insigni fulsit Atlante,
   tanto etiam famam fulsit Atlante suam.

Eoo Phaethon dum surget ab aequore, dumque
Hesperio fessos gurgite tinget equos ;
vivet honos, virtusque animi, nomenque Rodolphi,
fulget in Helvetico qui quasi Iaspis agro.
Vivet, ubi rubras Nabathaeo, e litore gemmas
udus Erythraea, colligit Afer, aqua,
quaque alios populos ipso sub cardine mundi.
Respicit hirsutis, Maenalis Ursa, genis.
Dumque adeo clari fulgebit fama Rodolphi,
quid nisi fama almae fulgeat Helvetiae ?
Gratulor Habsburgo ; tuque alti o gloria Rheni,
perge Habsburgensem tollere ad astra Domum !
Ut tamen Habsburgo digne quoque gratuler, ecquis
sustectura mihi Pindarus ora dabit ?
Cecropias Regina sibi quae vendicat arces,
digna simul patrem Pallas habere Jovem.
Mella locuturis si affunderet Attica labris,
aridaque Ambrosio tingeret ora favo :
arcem ego, Cecropias praeituram laudibus arces,
hac quoque venturos pangerem ab arce Duces.
Nam mihi si vera praelusit imagine Morpheus,
visaque signa ratam sunt habitura fidem ;
vincet Erycteas, Habsburgi gloria laudes,
vincit ut Euxinas aurifer Hermus aquas ;
lucifugis ni forte ululis, te judice, cedat
accipiter reliquas palmifer inter aves.
Ardua qua celsas Kyburgi Regia turres
explicat, aetherio tecta propinqua polo,
nuper anhelanti curisque Hippocratem agenti
forte mihi lumen pressit utrumque sopor :
sparsitque in vinctos vix prima papavera sensus
sole ipso medium jam superante diem.
Cum nova luciduli species affulsit Ephebi,
(a superis missus quid nisi Ephebus erat ?)
Vultus Adonis erat, mitido frons aequa Smaragdo,
ardebant geminae prae Phaethonte genae ;
visus erat pulchris radiare micantius astris.
Et superare tuas, fulve Pyrope, faces.
Qualiscumque fuit, blandi velut aura susurri,
visus erat tales edere voce sonos.
Macte tua virtute Comes, quem clara Kyburgi
Helvetiae primis, aequat origo, viris.
Utilis est pietas, et magno turgida quaestu,
quaeque sui immemores non sinis esse Deos.
Illa tibi, illa tuis centuplum exercita fructum,
illa redundantes grata refundet opes.
Laeta tuo generi fulgebunt astra, regentque
fata tibi agnatam prosperiora domum.
Vanaque ne Morphei reputes haec phasmata ; magnis
turgescent titulis hinc Soror, inde Nepos.
Et licet ampla tuo sit laus ac fama Kybrugo,
Habsburgi majus surget ab arce decus.
Pergama Dardanio quae quondam diruta bello.
Pergama tantorum stirps et origo Ducum,
auspiciis jam laeta novis melioreque fato
regiam in Habsburgi sunt habitura basi.

Illam, Hartmanne, petram nec Larissaeus Achilles,
nec gravis armati machina sternet Equi.
Ipsamet Odrysio quae fulguris instar ab Haemo,
impia Christicolis inferet arma plagis,
erectura licet sit iniquas Thracia cristas,
non expugnandam sentiet esse Domum.
Fulcra dabit Domui generosus prima Rodolphus :
hic basis, hic tanti culminis auctor erit.
Illius auspiciis quondam caput inclita tollet
Austria, perpetuos hinc habitura Duces.
Crescet o in quantos stirps haec unita triumphos !
Quanta erit hinc Regum gloria ! Quanta Ducum !
Mille Habsburgiacam cingent diademata gentem.
Excedet numerum purpura, gaza fidem,
Dardanius jactatur equus, qui carcere ventris
effudit tantos, tam locuplete, viros.
Atque tot Heroes, et Achivae robora pubis ;
quid tamen ille merus, quid nisi fucus erat ?
Nunc ut in Habsburgo revirescunt ardua Trojae
Pergama, Trojanus sic revirescit equus.
Ille triumphales utero producet Atridas,
et foetu Pyrrhos prosperiore novos.
Partus erit felix, sed partus ubique Leonum,
nescius a primo degenerare gradu.
Hinc oritura suis, quae exornent tempora ramis,
crescet in Austriaco plurima laurus agro.
Plurima laurus erit, lauroque inserta virenti ;
cinget Regales, plurima mitra, comas.
Tessera stirpis erunt, diademata, sceptra, coronae,
et fisci stabiles divitioris opes.
Gloria stirpis erunt Alberti, Caroli, Othones,
maxime - cum natis - Aemiliane tuis :
cumque Sigismundis, et Wilhelmi et Leopoldi,
vix habituri alios Marte, togave pares :
et tot Fernandi, Friderici, totque Philippi ;
nomina proh quantis annumeranda viris !
Carolus hos inter, quantumvis Quintus, habebit
a tota primum posteritate gradum :
quique Secundus erit Fernandus nomine ; bello,
hoste triumphato, prole, Secundus erit.
Illorum nomen populis fatale regendis,
Oceani extremos tendet ad usque sinus.
Austria Pannoniis, adjuncta Bohemia Quadis,
tuque metallifero Dalmata note solo ;
Stiriaque et saevis annexa Croatia Sclavis,
tecta sagumque amplae, Marcomanumque plagae,
utraque Danubii parebit, et utraque Rheni
ripa, dabitque suas Ister et Oenus aquas.
Et tamen extendens tam vastis brachia terris,
non capiet tantum Teutonis ora genus.
Regia Parthenope, simul et Trinacria Zancle,
quidquid et e Siculis prospicit Aetna jugis ;
Cantaber et Calaber, Tattessus et alta Saguntus,
subjiciet pronas officiosa manus.
Proferet Hesperiam, sua, trans, insignia, Calpen,
qua sua Marmoricus caerula claudit Atlas.

Usque adeo extremos dominabitur inter Iberos,
dictura aurifero jura suprema Tago.
Herculeae nec limes erunt, nec meta, columnae,
quaeret in Eois ultima Bactra fretis :
quaeret in orbe novum superatis Gadibus Orbem,
atque inibi partas vix numerabit opes.
Sceptra per Antaecos, per et Afros tollet et Indos,
per, quae Aurora suis, regna, colorat equis.
Jura dabit, quacumque suas fert Mexica gazas,
qua venit e rubro concha Erycina salo ;
quaeque Europaeis modo sunt incognita terris,
coget regna suo plura subesse jugo.
Hactenus aligeri praesaga oracula, quorum
pars bona Lethaeas jam penetravit aquas,
obstupui, fugitque sopor, vatemque requirens,
conspicor ante oculos nil nisi inane meos.
Quae tacita perplexus ego dum mente revolvo,
pensito virtutes dumque, Rodolphe, tuas :
Vere, inquam, superis fulsit mihi visus ab astris
Morpheus, et veri vox fuit ista Dei.
Albus erat certe, nec candidiore putarim
lumine Dictynnam posse micare novam.
Haec Tibi dum, Princeps, meditatis exaro verbis,
quid nisi divinam commemorabo manum ?
Rex ille astripotens, variis qui temperat horis
et terram, et vasti stagna profunda freti ;
qui Regum mitras, qui dirigit orbis habenas,
sidere qui caelum, qui replet imbre solum ;
qui summas animi, qui dignas Caesare dotes
tam forti voluit participare Viro ;
Helvetico qui sceptra dedit suprema Rodolpho,
nec prius ambitum vexit ad Imperium :
ad placitum firmare potest haec omnia nutum,
quo regit humanae lubrica fata rotae.
Ille sibi exhibitum milleno munere cultum,
servitiique omnem pensat ab axe, vicem.
Nam plura ut taceam, mihi visi oracula Ephebi,
quae paene exciderant, haec quoque verba dabant.
Ne tuus ille Nepos, panis velamine tectum,
dum coluit tanto nuper honore, Deum ;
dum Comes, augustae, per patria rura Synaxi
obvius, in medio flectere genua luto,
ingentique fide Numen caeleste professus,
cernuus ardentes tollere ad astra preces ;
insuper et Mystam, Venerabile pignus habentem,
insignire suo non dubitavit equo :
quamquam bissenus jam transiit annus, ab ista
hauriet aeternum religione lucrum.
Ergo vel ex isto poterunt exsurgere centro,
Caesareo clari sceptro et honore Viri.
Armiger ipse Jovis, magni si Caesaris ales,
Chaonis imbellem gignere nescit avem :
magnanimas, nec frena pati, nec vincula gnaras,
si constet, Leporem non generare, Leas ;
Quale per hanc Aquilam, per et istum, o quale Leonem
exoriturum Orbi, credimus esse, genus :

Imperii fasces fore ab istac stirpe regendos,
   plurima plus certam dant mihi signa fidem.

## DE EIUSDEM POPULI PRIVILEGIIS, AC DIGNITATE MONASTERII EINSIDLENSIS.

H1_02

Ponite corde metum. Quam Lydo creditis auro,
quam Trojae gazis, ac Persidis aere priorem,
libera condicio, quae tamquam tessera vestrae
propria telluri, tot fluctus inter et undas.
Caesaris augusta stabiliri poscit ab aula ;
Caesarea nullam patietur ab aure repulsam.
Augent, non minuunt indulta ultronea Reges.
Martia, et in crebris virtus exercita bellis,
Integritasque sacro, candorque, favorque, laborque
praestitus Imperio, specioso nomine vestros
si decoravit avos : si fortem imitata Gradivum
pectora, ab occasu super ipsum Hyperionis Ortum
cognita, ad eximiae donanda encomia famae,
mundi supremis stimulum tribuere Monarchis :
Helvetici durate Viri : concessa perennem,
ex parte Augusti, servabunt jura vigorem.
Verba etenim Regum sunt sacramenta, nec ullos
principibus consueta fovent diplomata fucos.
Teutoniae comperta manent illustria trinum
proelia Pagorum : quaeque ipsis gratia magno
fluxit ab imperio ; nobis, quos cura Tonantis
ad regni primum jussit considere clavum.
Secura asseritur : fixasque, ratasque tenemus,
a quocumque prius decretas Caesare, leges.
Gratificaturi vestris nunc ergo petitis,
vos ultro eximiam servili a nomine gentem
dicimus : ac partum cum Libertate decorem,
auctorata inter cimelia vestra probamus.
Membra sub Ausonia, sed non ingrata, corona
vivite : Caesareas, quocumque sub hoste volantes
(quod memori exemplo vestros fecisse priores,
conscripti perhibent, monumento perpete, fasti.)
Propugnate Aquila : vestigia fortia Patrum
ingenito prensate gradu ; parilique deinceps
indole Germani pretium defendite sceptri
gratia nulla perit. Virtus sibi vivida merces,
ipsa sibi pretium est : Stygias nec fertur ad umbras,
nec moritura cavo Lethes sorbetur hiatu.
Floret, et obscenae nusquam subjecta repulsae,
indelibatam servat post funera famam.
Vos quoque quos virtus, ac grandis adorea Martis,
dudum Pierio dignos statuere cothurno,
lubrica Lethaeae glacies non occulet undae.
Pyramides Pharias, Rhodiosque aetate colossos
inclita magnanimum praecellit fama virorum.
Jura igitur Patriae, virtutibus empta paternis
nos firma astruimus. Magni vos cura fovebit

Imperi, et ut fidos tutabitur usque clientes.
Liber erit judex, patrium quicumque tribunal
ambiet : ac vestri, titulo quocumque, coloni
sub servili ullam non dicent judice causam.
Nec quippe ignaris operae tam saepe locatae
esse licet nobis ; manet alta mente repostus
Helvetiorum animus, flagranteque Marte probatum
crebrius obsequium. Membranis credita vivunt,
Caesareae quaecumque olim sunt facta Coronae
auxilia, et stabiles in sceptra Alemanna favores.
Cimmeriis nec vero jacent sopita tenebris
bella, per Alpinas iterumque iterumque cohortes
fluminea bellata manu, decorataque pulchris
laurea, victori pignus solenne, tropaeis.
Fixa haerent animo trabeati celsa Quirini
moenia, vestrorum quondam virtute parentum
intrepidis asserta armis, totaque repulsi
Hesperia Mauri : manet, aeternumque manebit
Helveticum, cui fama parens tam vivida, nomen.
Sic vero exorsos, quid nos tam prisca morantur
tempora ? Materies stat ab isto uberrima saeclo.
Proelia, Romuleam cum necdum fronte tiaram
sortiti essemus, viderunt plurima vestrae,
a nobis agitata, plagae : cinxere petitum
undique telorum genera impetuosa Rodolphum.
Alsatae et Helvetii, Rhaetique ac Rauraci, eodem
impulsi stimulo (quod vos meministis et ipsi)
concivere suas in viscera nostra sarissas.
Curia Rhaetorum, sanctique  - potentia - Galli,
et quae cornigerum cultura divite Rhenum
nobilitant, Basilea ingens confisaque gazis
Argentina suis, uno in nos tempore structas
in medium duxere acies : sors nostra ferocem,
pmnigenis experta fuit de finibus hostem.
Toggenburgi acres, Lauffenburgaeque, simulque
Hombergae Comites, ac Tauffensteinia nostrum
arma petiverunt jugulum : multique cruenta
reguli in Helvetia, Bellonae ardoribus usti,
invidia fotum simul excussere calorem.
Crevit in adversis virtus, et crebrior hostis.
Fortunae ac nostro dedit incrementa decori.
Propositam nec quippe semel concessit arenam
perditus, et raros meruit pugnando triumphos,
laurea belligero cessit repetita Rodolpho.
Haec dum Caesareus placito sermone character
commemorat palmasque, refert, quas magnus Olympi,
quondam Habsburgiacis opifex impertiit armis ;
una etiam fas est vestratem extendere famam.
Agminibus nostris ubi se, pro tempore, vestri
junxerunt cunei : belli fervente tumultu,
non expugnandis hostem invasere lacertis.
Qualis in Argolicas efferbuit ira phalanges
Hectoris Iliaci, cum vel prae moenibus acrem
stare Neoptolemum, vel Martem accendere saevos
audivit Dolopes : non illum ferrea Thracum.
Myrmidonumve manus, non belli fulmen Achivi

terruit Aeacides : sed nec clamosus amatae
impetus Andromachae, certique praeambula fati
signa, a proposita poterant avertere pugna.
Irruit in medios, ceu fulminis ala, Pelasgos.
Sic, ubi vocalis praesentem buccina Martem
rettulit, et rauco crepuere Habsburgia cantu
classica ; praecipites sensere hostilia castra
Hectoras Helveticos, quos vel vicina jubebat
Suitia, vel sumptis silvania et Uria signis
egredi, et armigero ferre adjumenta Rodolpho.
Sensere, at misera demum sensere ruina.
Habsburgo - Helveticos superari haud posse lacertos.
Aggrediendi omnes (laudanda superbia) primum
certatim petiere locum ; nec tergore quisquam,
pectore sed forti dextraque innotuit hosti.
Victrices adeo, quas Nobis saepe secundi
concessere Dii tam fausto sidere palmas.
Quandoquidem vestrae quoque promovere catervae ;
ne dubitate Viri, virtus exercita Reges
esse jubet memores. Dona Imperialia vestros
ecce manent populos : libertas aurea tantae
debita virtuti, vestrae stat propria genti.
Ista quidem ternis udum spectantibus Austrum
Helvetiae pagis, nulli violanda deinceps
tradimus, ac nostro firmamus jura Sigillo :
acta rei series, cum nos ageremus ad ipsas
Argoiae Baias, vitrea qua Limagus unda
Badenae acclivem cursim praeterluit urbem.
Haec voto populi nunc ad confinia vobis
atria, Caesarei fiet reflexio verbi.
Inclitus ille locus, quem Suitia vestra supinis
prospicite clivis ; cui multa pinifer umbra
lucus, et obscurae penetralia inhospita silvae,
Nomen ab antiquo dederant : jam vero coruscis
conspicuus radiis, quamquam vel Thessala Tempe,
cultaque Paestani praeeat violaria Prati,
servat ab umbrosa memorabile nomen Eremo.
Illa, Mariana celebris reverentia, Eremus,
illa Deo sacrata aedes, domus ista stupendis
inclita portentis ; caeloque proinde soloque,
caelique Aligeris jucunda, solique colonis :
quae tulit aetherio majorem a Numine lucem,
promeret Ausonio majorem a Caesare dotem.
Nonne etenim domus haec (vos inter viscera dictae
progenitos terrae, lucique locique peritos
alloquimur testes), nonne haec est illa supremo
aula adamata Deo, quam maximus ille Sacerdos
ordine Melchisedech, caeli stillantis olivo
unctus, inaudita terrarum ab origine pompa,
tot Superum famulante globo, summique Senatus
agmine, et aligeris cinctus, sacravit Ephebis ?
Illa Deo tam cara domus, nullique secundus
sub roseo Titane locus, cui Lucifer ipse
numquam deficiens, verum de Lumine Lumen,
deque Deo sacer ipse Deus, Matrisque Patrisque
augendo decori ; terraeque hominumque saluti

immortalem ultro voluit conferre decorem :
congrua nonne etiam famae monumenta, suoque
gratificabundum decori mereatur honorem ?
Terribilem revera Aedem, nimiumque beatas
hospitio caelesti aras ; quas lividus Orci
rector, et insultans Erebeis curia larvis,
invidiam confessa, fugit : quas aetheris alti
auctor, et e pulchro distillans gratia caelo
incolit, ac miris per continuata patratis
saecula prodigiis, totum velut erudit orbem,
prae reliquis hanc esse Domum, qua maximus aulae
arbiter aethereae Superum cimelia, et amplas
dispensare velit gazas : ubi vota precesque
supplicis, intentas supremi Numinis aures
atque oculos Domini magis experiantur apertos.
Nota Orbi loquimur. Dictorum adducere testes
possumus hasce aures, quin et producere nostros
possumus ipsi oculos, quam sit devotio dicti
fervida coenobii : quam turba illustret eumdem
religiosa locum : quantis (seu Phoebus anhelos
provehat altus equos ; seu caeli frigida clausum
occulat umbra diem, croceisdum lutea bigis
Ezelii summas necdum Tithonia pinnas
attigit, et nulli rupere silentia galli)
Novimus, et rerum docet experientia, quantis
inde a constructi primo fundamine templi,
sacra inibi plebes mercetur sidera votis.
Ordine dispositas pulchro currente per horas.
Si trahitur gemma solidum magnetide ferrum,
si sua quemque trahit, genio inclinante, Voluptas :
Nos quoque (concepto quis succensebit amori ?)
nos auctoratum Christo Archipraesule fanum,
nos facies tam augusta loci, tam mira Sacelli
traxit Majestas. Nos vestrae affinis Eremus
allexit Patriae : nos illa hominumque Deumque
ambrosiam superans, et Hymetti mella voluptas,
Numinis alma parens : quam cum divina replesset
gratia, prodigium prius admirabile mundi,
inde triumphantum facta est Regina chororum.
Et quem non traheret tam prodigiosus Eremi
hortus, ubi Elysias tam suavi germine mulcet
aura beata rosas ? Ubi regia Nympha venustis
lilia fert calathis ? Ubi diae gratia Florae
tam miram Clytien, semperque virentis Acanthi
proponens vultum, contritis mentibus omnem
explicat, e gremio Jessaeae Virginis, Hyblam.
Ampla sit, ac miris Germania nostra sacellis
fulgeat : illustres benedictae Virginis aedes
Gallia commemoret ; septemque immensa Trionum
climata, magnificas structura qualibet aras
orbi proponant : sacro marialis Eremus
cuncta praeit pretio. Nec habet Domus ista secundam,
nec tam praesentes alibi est cognoscere Divos.
Novimus, haec Clitie quantos jam attraxerit olim
et quam sublimi generatos stemmate alumnos ;
seu Burgundionum lubeat de sanguine regum

dicere Bennones ; seu quos Alemanna serenos
protulit ora Duces, Eberhardosque, novoque
nomine Thietlandos ; seu flavi in margine ponti.
Qua Neptunicolis sua prostant regna Britannis,
Gregorios thalamis itidem regalibus ortos.
Illis quot Comites ? Quot gente domoque Barones ?
Quantaque successit melioris copia stirpis ?
Pastorale pedum, veneranda insignia mitrae,
usque ad praesentes hodierni Antistitis annos,
non nisi ad exortas generoso semine dextras,
non nisi ad illustres posuere habitacula frontes.
Nobilitas, quam nostra creat Germania, quamque
paene infinitis, et Raetica et Helveta tellus,
educat in castris, quam denso examine, opimos
indignata focos, istas confugit ad aras !
Copia quanta virum, mora isthoc flamine, spretis
saecli lautitiis, aulasque exosa paternas,
semita quo sese tandem securior hortos
ferret ad Empyreos, tam abstrusam intravit Eremum !
Praecessorum igitur vestigia sponte secuti
Caesarum ut illustrem studiis regalibus Aedem
devinciremus, firmissima pondera priscis
sanximus indultis : mitraque pedoque verendum
illic abbatem, fratresque, patresque locumque
tot titulus celebrem, nostri veneranda potestas
proteget Imperii : fervorque, animusque, manusque
virtusque, ac constans popularis cura Rodolphi,
Numine propitio, dum spiritus hos reget artus.
Muniet, et fidis exinde tuebitur alis.
Spiritus Augustos qui quondam traxit Othones,
unaque Henricos, Conrados, Lothariosque,
cum reliquis, quos prima loci primordia largos
dicunt Patronos ; stimulo nos prorsus eodem
excitat, et titulis animum majoribus addit.
Inde rei pretium, regnique Alemanniae honorem
esse rati, magna si effulgeat ille caterva
principum, in Imperii quem sorsque Deusque supremo
constituit solio : nos hujus et Aedis et Arae
permoti omnigena, quae pervolat aethera, fama,
coenobiarcham ipsum, qui nunc florentis eremi
temperat oblatos, pulchro moderamine, fasces,
jussimus ad solitam nova nomina ferre tiaram.
Jussimus Ulricum genuino Principum in albo
ferre gradum ; dicique sacro, stabilemque manere
principem in Imperio. Generosus Praesulis ortus,
rara loci facies, lux prodigiosa Sacelli,
fratrum illustre genus ; Meinrado martyre clarus,
ac dio toties perfusus lumine lucus.
Hosce sibi titulos, pridem hunc meruere decorem.
Relligiosarum clarissima nempe Domorum,
Teutonicas Regina inter quae praeminet aedes.
Ut scintilliferi radiantes inter Olympi
fulgida Luna faces ; nostro praedigna videtur
calculo, et augustae dignissima creditur Aulae,
cui sublimatus det jura perennia Princeps.
Olli propterea Regalia Principe digna

ultro largiti, quascumque prioribus annis
libera munificum fundavit dextera Regum
jussimus esse ratas, placito diplomate, dotes.
Nec personalis morituraque Principe primo
gratia, in aeternos sed erit durabilis annos.
Stabit Caesareum, nulli revocabile, verbum.
Perpetuo posthaec abbas, dicetur, eremi,
princeps Imperii : cui tota proinde corona
coenobii, plebesque istas dispersa per oras,
insignem hunc titulum titulis superaddet avitis.
Atque haec Caesareo sic auctorata sigillo
symbola, Germanas jam divulgata per oras,
visa fuere etiam vestram concernere gentem.
Principis Ulrici si vos reverentia fidos
coenobio, membrisque suis cognorit amicos
(mutua nempe sibi suevit Vicinia talem
persuadere fidem) non vos solius Eremi
mandritaeque favor, non sola reciproci amoris
argumenta manent : sed continuanda Rodolphi
gratia, cum toto, quod nunc moderatur et auget,
Teutoniae regno, vestris, fidissima, terris,
perget in exhaustos Charitum diffundere rivos.

## DE ANTIQUISSIMA TRIUM CIVITATUM LIBERTATE.

H1_03

Si licet, Helveticae tela rudiore Minervae,
magnatum augustos sollicitare lares,
ibit ad illustres etiam mea charta Barones,
Maeonia quamquam non sit amicta stola :
ibit, et ut placido volvatur Epistola vultu,
quod sperare jubet stirps generosa, petet :
Suitia bellipotens, lituo silvania gaudens,
et jaculo in mediis Uria laeta jugis,
et populi quicumque capit silvania, quicquid
Uria telluris, Suitia gentis habet ;
multiplicem cum pace jubent offerre salutem,
quicquid et ista suas plebs habet inter opes.
Nuper ab augusta Romani Caesaris aula,
cum foret in nostras missus uterque plagas ;
unanimem laetata tulit vicinia plausum,
principis electos digna locare viros.
Grata fuit nostris Legatio tanta colonis,
pacisque omnimodam fecit utrimque fidem.
Gratior at quanto nostras venisset ad aures,
tentasset patrium ni mutilare statum !
Turpe pecus mutilum, turpis discordia rerum :
turpius, indignum sponte subire jugum.
Par generosorum, vos ergo, illustre Baronum,
lumina Teutonici nobiliora Soli,
vos perarata mea, concernit, epistola dextra,
publica pro patriis fert tamen ora focis.
Haec populi responsa dabit, summamque petitae

expediet calamo non trepidante, rei.
Quis Patriae ritus, quae Res sit publica nobis,
quaque sit Helveticus conditione Status,
credimus emeritos non ignorare Barones,
volvunt sidereos qui quoque mente polos.
Inclitus Albertus, cui nunc Germania pronas,
rite triumphato, subicit, hoste, manus :
qui populos, qui jura sacri, fascesque gubernat
Imperii, plenas vix satur inter opes :
tela per et flammas nos experietur amicos,
fida simul belli pectora, fida domi :
fida sed Imperio ; capit Induperator honorem,
nil praecisa, in nos, Austria juris habet.
Austria Pannonici tellus uberrima regni,
et gaudens flava Suevia culta coma :
ipsaque vicinis tellus habitata Tribocis,
atque in Teutonico natio crebra solo,
principibus subsint, dent annua pensa Dynastis :
ista suos Comites nutriat, illa Duces ;
nostra per et colles, distinctaque terra per undas,
nec terrae Comites, nec fovet ulla Duces ;
stamus ab Imperio, nec condicione minori,
quam reliqua Imperii libera membra, sumus :
libera membra sumus, solumque agnoscimus illum,
per septem geminos, quem legit urna, Viros.
Mancipii exosum Silvania et Uria nescit,
nesciet externum Suitia ferre, jugum.
Libera condicio, nulli subjecta Toparchae,
patriam ab innumeris nobilitavit Avis.
Haec populi gaza est, haec fulvo gratior auro,
haec patriae cunctis anteferenda bonis.
Illius intuitu per tela, per arma, per hostes,
per sola, per saevi dura pericla sali,
per juga, per celsas confertim excurrimus Alpes,
irruimusque feros, absque pavore, rogos.
Haec populo hanc Patriam nullis facit esse secundam,
nec poterant ipsi plura dedisse Dii.
Dispare sorte sumus. Terrarum alat altera gemmas,
altera purpureo fragret onusta croco.
Altera Palladia cultorem ditet oliva,
proferat illa suo care metalla sinu.
Triticeas inarata alibi dent jugera messes,
ac bis maturas tollat arista comas.
Prata Therapnaeus fecundet, et arva Galesus,
tingat Achaemenios melle, Choaspis agros.
Lesbia turgescat decumanis vinea botris,
uvaque Brisaeos impleat una cados.
Dispare sorte sumus : contenti vivimus illa,
quam Superi nobis attribuere plaga.
Haec luxu ut careat, tamen hanc a Numine sortem,
jugiter ut dici Libera possit, habet.
Certe ubi libertas patrias stat salva per aras,
deliciarum omnem fungitur una vicem.
Libertate igitur cunctis potiore metallis
exuere, immensis est spoliare bonis.
Haec facit, ut vestris assensum reddere votis,

parere arbitriis, Natio nostra neget.
Haec declaratae prima argumenta repulsae,
parcat majestas Caesariana, dedit.
Induperatorem (cui cetera praeter, opimae
Austriaea parent sub dicione plagae)
a populo nostro Legatio vestra poposcit,
vellet ut ipse suum, sponte vocare, Ducem,
proque clientela Romani Caesaris, omnem
Austriaco posthac Principi habere fidem.
Prae namque Attalico, Dux eminet iste, tributo,
ipsius immensas arca flagellat opes.
Ille inter Proceres longe celeberrimus omnes,
inter et illustres gloria prima Duces,
Principibus, qua dote animi, qua robore sceptri,
qua genere et culti nobilitate soli,
principibus tantum Dux praevalet iste coaevis,
noctivagae quantum Lampas Eoa rotae.
Inde, quod asseritis, plebem defendere, et acres
arcere a patria scit regione Lupos.
Nec Phalaris, sed tutor erit ; juvenesque senesque
proteget auxilio, non premet ipse jugo.
Austriaca non stare solet Busiris in aula,
sanguine nil isto mitius orbis habet.
Scinditur Imperium tragica persaepe ruina,
stante inter varios ambitione procos.
Sequana, qui Francos ; Baetis, qui lambit Iberos,
et qui Teutonicos, Albis et Ister, agros ;
Caesaream, de more, solent ambire coronam,
instar et expositae fluctuat ipsa pilae.
Inde sitibundus saevitque furitque Gradivus,
Caesar in extrema dum latet Utopia.
Interregna quidem saecli docuere prioris,
quis sit in Imperio sic titubante status.
Ejus enim membris quis ferre queatve petatve
auxiliatricem, sede vacante, manum ?
Austria Principibus semper provisa benignis,
Austria magnanimos sueta fovere Duces,
ut sibi commissos tueatur ab hoste clientes,
semper habet vires, semper habebit opes.
Quanta Ducum dicio, quam larga potentia stirpis,
quamque sit Austriaci sarcina blanda jugi,
nosse potest, quisquis Germana per oppida, quisquis
Teutona sollertem per, tulit, arva pedem.
Horrea formicae quod si locupletia tantum,
candida si tantum tecta, columba petit :
quid vetet ad tantos etiam aspirare patronos ?
Quid tam magnificos sponte subire lares ?
Ista quidem thesis est, haec vestrae summa diaetae,
verborum arguto, mellificata favo.
Gratia sit verbis. Repetendae hic vero repulsae
causa sub est, Fidei non violanda fides.
Absit ut Helveticam (gravior ni causa supersit)
mutet Vertumni quaelibet aura, rotam,
absit, ut Augustus queat umquam dicere Nobis ;
Quando fidem adstruitis, non nisi verba datis.
Si minus illustres, si Codri e stirpe Nepotes,

scommata ne memorem deteriora, sumus :
ore tamen nullum tegimus fallace Sinonem,
nec Graeca infidos vendimus arte dolos.
Caesaris augustas, atavorum aetate, sub alas
contulit hoc nostrum, seque suosque, solum.
Tutelae ejusdem tam longo a tempore pactam,
truncabit ratio non nisi justa, fidem.
Tollitis Imperium ? Confestim tollitis omnem,
cui parere velit Natio nostra, Ducem.
Austriacam candore animi, virtuteque belli,
prae reliquis claram, novimus esse Domum :
hanc in Romano veneramur Caesare, eidem
quicquid avet titulo conveniente, damus.
Nos habet ipsa suos, ut semper habebat, amicos ;
quicquid enim juris possidet ipsa, damus.
Si reditus ullos, si quos Collegia census,
debita si allegant, qualiacumque, damus.
Ut vero Imperii fidis patiamur ab alis
avelli populum, patria jura vetant.
Ut sub perpetui regionem hanc nomine 'feudi'
Austria possideat, patria jura vetant.
Ut libertatem virtute ac sanguine partam
occulat Eclipsis, patria jura vetant.
A reliquis jam facta licet sit sponsio terris,
sponsio per nostras non erit ulla plagas.
Praeteritos maturo animo si volvitis annos,
quae petimus, priscis consona rebus erunt.
Teutonicae quis, quaeso, tulit diadema coronae,
qui nos Imperii libera membra neget ?
Ille Palestinis celeber Fridericus ab armis,
celsa frequentato vectus ad astra sago :
qui Solymorum Urbi, vafris qui jura Sicanis,
immensa rerum prosperitate, dedit :
forte Faventinam cum milite cingeret urbem,
ac procul Uraniis castra locaret agris :
quam pulchro nostram laudat diplomate gentem ?
Evehit Helveticam qua gravitate fidem ?
Uriam, et annexas ulnis regalibus oras
suscipit, et nullam defore spondet opem.
Affore constantem Rex astruit ipse favorem,
somniat externum littera nulla jugum.
Liberae ad haec homines nos 'Condicionis' haberi,
pressuraeque omnem, mandat, abesse notam :
utque sub Imperii supremis jugiter alis
libera gens maneat, regia bulla jubet.
Rudolphum hic lubeat Friderico jungere, dignum
quem canat Ascraea Castalis ipsa tuba.
Flos ille Helvetiae, decor ille ac gloria terrae,
Imperii splendor, gentis et orbis amor,
cui Pompeianam victoria plurima laurum
debuit, et magnos vexit adusque deos :
ille Quirinales meritus captare triumphos,
haud alio nostrum nuncupat ore Statum.
Libera condicio, quam nemo exterminet, inquit,
publica tam fortis tessera gentis, erit.
Sic Pater Alberti, qui, tantum habuisse parentem,

jure potest primis annumerare bonis.
Quaeritis, unde suum libertas tanta favorem,
aut ubi tam firmam nacta sit ipsa basin ?
Praestita in adversis, bellique exercita virtus,
et bene propitii fulcra dedere Dii.
Ne laedam placidas exemplis pluribus aures,
historiae hic omnem res aget una vicem.
Gens inimica Deo, totumque invisa per orbem,
e Saracenorum perfida, peste, lues,
saeculo ab hinc quinto, cum densae grandinis instar,
Itala feralem ferret in arva pedem :
jamque alias, rursumque alias grassata per urbes,
foede etiam Latios depopularet agros :
ausa fuit, Siculis jam tollens cornua praedis,
et nimium Hesperiis facta superba bonis.
Ausa fuit dominam Mavorte lacessere Romam,
Bellona socias anteferente faces.
Ausonii tremere ergo viri, titubare Quirites,
et 'rome' Romae nulla sat esse suae. (mot grec)
Namque licet totum de septem montibus orbem
conspiceret, tantis prodigiosa jugis :
ipsa tamen quassam septem de montibus urbem
protegere, ac tuto nesciit esse loco :
condita magnifico majestas Aelia cultu,
sub Vaticanis crebrior Ara tholis ;
alta super Parias laquearia structa columnas,
ac multo insignes marmore et arte lares,
impia barbaricum dum effudit turba furorem,
Vulcani rapidis esca fuere focis.
Quicquid erat ruri, vel quicquid in urbe decorum,
vel fera praeda hosti, vel fera flamma fuit.
Ante ubi certamen Liberque Ceresque gerebant,
Area tunc Martis, Terra Laboris, erat.
Temporis interea, quod nos docuere parentes,
haec quoque terra suam ferre rogatur opem.
Illa suas ex templo acies, illa excitat enses,
Illa, intermisca, fertur in arma, mora.
Suitii, et Uranii, Silvanique, Haseliique,
lecta manus juvenum, turba animosa virum,
emensi aerias, non lentis passibus, Alpes,
salvere Ausoniam laeti alacresque jubent.
Hanc duce Pusterla, turmasque acuente Guidone,
per juga, per celeres ut tetigere vias ;
impavido hostilem quaerentes pectore faecem,
illius extremam praesto habuere manum :
"Et nunc, o socii, nunc Martia promite corda,
nunc in sacrilegos fortius ite viros :
mittite tela citi, validas vibrate machaeras,
quae superest, omnem praecipitate moram,
flagitii sentina aequas dabit improba poenas,
vos modo, vos alacres vertite ad arma manus.
Cernitis, ut vasta nequeant properare rapina ?
Ut calcitrantes praeda fatiget equos ?
Barbaricam torquete hastis, arcete sarissis.
Exosam terris sideribusque luem."
Hos animorum ignes simul ac generosa secuta est

dextera, terribilem fecit in hoste necem.
Coepere ingentem Mahometica castra ruinam,
Helvetio iratas injiciente manus.
Et vitam et spolium perdit Saracenus opimum,
nec compos praedae praedo fit ipse suae.
Namque sibi vivos a tergo instare leones,
aut terra genitos, credit, adesse fabros,
cedit, et abjectis tandem sibi consulit armis,
Mercuriique agiles imbuit arte pedes.
Ostia, Parthenope, caput Orbis Roma, Tarentum,
oppidaque Hesperii nobiliora soli,
Ejici ab hospitio Libycos videre colonos,
et nova festina quaerere tecta fuga.
Italiae sic parta salus. Honor inde, decusque
praedaque nostrates plurima mansit avos.
Sed Vaticanam, Legio fortissima, sedem
haeredem parti fecit, ab asse, boni.
Reddidit attonitos virtus tam rara Quirites,
gratia nec tantis defuit aequa Viris.
Caesar et Antistes Romanae maximus Urbis.
(Par, cui supremus fertur in orbe gradus)
continuo dignos tanta virtute favores,
curiam, et eximii libera jura fori,
largiter indulgent. Romani insignia regni
sub Ludovico tunc viguere Pio.
Infula Gregorium redimibat mystica Quartum,
Pontificum sacras quae tegit una comas.
Papa quidem in labaris praeclara insignia, nostros,
pro tanto obsequio, jussit habere Patres :
dixit et oppressae Tutores esse Sionis,
nomine perpetuis conveniente cedris.
Romulidum Caesar nos Libertate perenni
cum tota voluit posteritate, frui.
Ingenui jure ergo petunt stabilire Nepotes,
quod tribuit charis candor et ardor Avis.
Haec licet Augustum non ignorare putemus
(ecquid enim tanti nesciat aula Viri ?
Visum est Helvetica tamen hic renovare Camena,
ut nostro patrias suppleat ore vices.
Summa est, quam petimus, Verbis contenta duobus,
summaque sat verbis dicta duobus erit,
poscimus, Albertus nostras tueatur ut oras,
qua nuper tuitus fronte Rodolphus erat.
Vivat, et omnigeno sic victor ab hoste triumphet
Caesar, ut a nobis nulla tropaea ferat.

## DE PRAEFECTORUM IMPERIALIUM INURBANITATE.

H1_04

Libertatis amor, Patriaeque excisa Tyrannis,
magnanima quondam celebres virtute Quirites
si Capitolini decoravit honore triumphi :
si sua Miltiadem comitata est gloria, claras
indole Cecropia quod sit tutatus Athenas :

quid, generose Baro, quid tanta ambage moramur
gratificatura patriae succurrere dextra ?
Illa gravem perpessa luem, Chirone perito
indiget, atque omnem Podalitii anhelat in artem.
Arida dudum ipsi miseros depascitur artus
febris et insueto labefactat viscera tabo.
Macti animis, una quid propugnare labantem
differimus Patriam ? Miserandae incendia flammae
confertim in prima cur suffocare favilla
usque adeo ambigimus ? Si me fidentius audis,
si Werneri aliquem sunt sensa habitura valorem.
Praecipitanda mora est, ignavaque febris, et omnis
e medio tollenda lues ; quaerenda Galeni
dextera, et indigno minuenda arteria morbo,
centaurea quidem nos Thessala deficit, atqui
centaurea istam quoque leniet Helveta pestem,
macte animo, cordate heros : te cura levandae
si qua trahit patriae ; quae Stauffackherus amicis
versat consiliis, spectato pondere rerum,
Africo, et agnatis noli committere Cauris.
Propositi ergo brevem si vis cognoscere summam.
Quamquam infacunda melior mihi dextera lingua,
eloquar, et fido sincerae mentis Achati,
Suitentis populi suspecta gravamina pandam.
Caesareas aquilas, et magni sceptra Monarchae,
legitimum quondam patriae telluris asylum,
absit ut insulsa studeam convellere lingua.
Floreat Augustus, sacrique potentia regni
Bosphoron, et Scythicum victrix transcendat Araxem.
Ille quidem (Austriacas dum nos renuisse secures.
Nuper, et unanimes pro libertate tribules
vidit ab Ausonia velli non posse Corona)
anceps consilii, dum spemque animumque Ducatu
perdit in Helvetico ; tribus hoc in climate Pagis,
Caesareos (vindicta animi gliscente) Tribunos
Destinat ; ac sparsos per rura, per arva colonos
primus inassuetis, turbatque premitque Tyrannis
ecquis enim talem titulo meliore farinam
Helvetus indigitet ? Fuerit mens Principis aequa ;
aequa parens certe prolem generavit iniquam.
Hoc Patriae solemne malum est ; haec quercera febris
occupat Helvetios : morbo languemus ab isto
perditi in hanc unam mea fervet epistola pestem.
Trina quidem tellus, sic rerum conscia testor
sidera, Caesareae ne majestatis ab ullo
irritetur honos, in patria rura Dynastas
principio ingressos, pronis exceperat ulnis
obsequio tantos venerata decente Tribunos.
At dum infanda diu, dum indigna ac digna perinde
perpessi fuimus, colubrinos Dipsadas ipso
fovimus in gremio. Prima indulgentia laxos
parturiit frenos : prolixior usus abusum
condidit : enormem tolerata licentia fastum,
fastus contemptum. Projecta hinc vilius alga,
vix digiti crepitu, vel amico nomine dignum
censent Suitiadem ; tamquam si tressis agaso,

si calo Arcadicus, fungusve, aut turpiter emptum
sit sale mancipium. Longi quaecumque sit anni
condicio : seu signa Nepae, seu sidera Capri,
Seu jubar Erigones, seu Cancri fulgeat astrum ;
felle, ac Sardois praefectus amarior herbis,
fenum habet in cornu, Taurinis cuncta lacessens,
incendensque oculis. Proh, quanta ferocia frontem
inquinat ! In torvo quam dira stat excetra vultu !
Et tamen haec inter, lubeat si vera fateri,
dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Lex est in manibus : sola est violentia judex.
Quando, sub absentis praetextu Caesaris, ullae
conduntur leges, Torquati Manlii iniquum
otur in imperium. Clausa est, et dormit honestis
curia pauperibus. Pro libertate, tributi
surgit origo novi. Censoria virgula nostros,
plusquam saevities plectit Rhadamanthica, mores.
Saecula Saturni dicas, ubi vindice nullo
omnia, Praefectis tellus inarata, ministrat.
Saecula Saturni terimus, sed ferrea quando
falce sua cogit sub iniquas omnia leges.
Ille olim ut sobolem, sic nostro tempore plebem,
efferus ad libitum dum congerit omnia, glutit.
Articulo hoc uno leges profitentur Amici,
Caesarei satrapae, sibi quod communia dicant.
Credita quae nobis sunt propria, ovesque, bovesque,
et pecora Helvetici, nullo discrimine, campi.
Si quis, ut in populo, violentae obsistere dextrae,
contraque imperium praeruptis hiscere verbis
audeat ; ille suum per fasque nefasque piaclum
aut luit effossis oculis, aut ferre misellus
cogitur in taetra paedorem ac vincla catasta.
Ut verbo referam, jus summum injuria summa est.
Offendit sanos pridem haec insania cives,
teque adeo, ut vocem non raro emiseris istam,
major ab infestis petulantia, visque nefasque,
surgit Praesidibus, gravior violentia plebem
opprimit, ingenui quam sint tolerando coloni.
Nuper forte meas cum conjecisset in aedes
lumina Gaeslerus, caperans livente protervum
nube supercilium : "Quis, Stauffackhere, quis, inquit,
haec tam magnificis spectata palatia tectis
aedificare jubet ? Cuja haec penetralia tantis
ardua structuris ? " Ego cautior ore, cuique
e tetrico jam injecta fuit responsio vultu ;
Caesaris Augusti tota haec structura, tuoque
serviet arbitrio : quamquam, si scire laboras,
non nisi fulta meo surgit mihi fabrica fundo,
vos Domini, solus nos rerum enutriat usus."
Ille : "Penes nostrum stabit res vestra deinceps
imperium. Tuguri congestum caespite culmen
vos decet ; ad nostrum spectant haec atria censum.
Rustica nobilitas, et paupere nuper ab Hylo
edita progenies, plebeiam fauce polentam
glutiat, atque casis vivat contenta salignis.
Suitiacum submissa tegant gurgustia coetum.

Tu cave, nequa meo fiat res absona verbo.
Audisti pestem ? Tu, si tangare paterni
perditione soli ; curabis idonea morbo
pharmaca, et inviso cuneum superaddere nodo.
Etsi Paeonias mihi nusquam Epidaurius herbas
suggerat, ista tamen sapit hic panacea ; priusquam
dira per incautum serpant contagia vulgus,
morbi primaevam dextra compescere culpam.
Si lex in manibus, si jus injuria, nostris
sit quoque jus manibus. Si res in cardine, cedat
ex animo constante metus ; mens prodiga vitae,
nata tamen Patriae, jamdudum invadere magnum
eluctatur opus, fortesque ardescit in ausus,
nec patitur requiem ; suprema pericula semper
dant veniam culpae ; tamen hic si juris aviti
funditus eversum Patriotae inquirimus usum,
de reproba nos ecquis amet traducere culpa ?
In scelus, audendum scelus est, in grandia virtus :
illam exercitiis, illam sudore parandam
exposuere Dii. Nam quid submersa profundis
proderit in tenebris ? Plus inter amara relucet,
deserit ignavos, fortes amat ipsa Camillos.
Ut tua verba loquar : "Quod plus intenditur aequo,
rumpitur, et rarum violentia durat in aevum.
Ut ne ergo innocuus rumpatur ubique colonus,
ilia funestis rumpantur iniqua tyrannis.
Hic ego (fabor enim) ne quid sine Numine Divum,
ne sine consilio fieret : sollerter agendis
propositi rebus, vicina e gente fideles
consilio junxi Socios : ut nempe gravatis
e patriae Pagis saltem alter, et alter, et alter,
in, sua, conceptam, ferrent suffragia, causam.
Hic equidem primum Gualtero Furstio honorem
detulerim ; quem mente gravem, quem Pallade dignum
repperi utraque virum. Certe hic ad maxima natus,
plurima cui rerum comes experientia, nostris
congrua consiliis, quanta olim encomia vestrae
suggeret Uraniae ! Concedimus inde secundas
Arnoldo ex Melchtall. Hic Underwaldius ortu,
fortuna locuples, Ajacem pectore spirans,
improba silvani fugiens aconita Tyranni,
cessit in Uraniae securas sponte latebras.
His ego me Sociis in conjurata sacravi
foedera, ut unanimi decretum pectore Verbum
staret in ore Trium. Numero Deus impare gaudet.
Scire cupis Verbum ? Superis in vota vocatis,
vicinam patriae miserati quisque ruinam,
jurisjurandi Sacramentique supremam
edidimus formam, Lethaeas malle sub umbras
quemlibet, inque feram descendere mortis arenam,
quam fastiditos rurique domique Severos
usque adeo, ac tantas populi perferre querelas.
Exuet agnatam vel nostra haec Unio pellem.
Induet antiquam vel Patria libertatem.
Ruttlismatta quidem placita haec primaria ternis
consultata viris, ac juramenta supremo

vidit facta Deo, cum noctem Libra diei
redderet aequalem, solitisque argentea bigis
Delia, jam nono renovasset cornua motu.
Sic ego, sic Socii jurato foedere pactam
condidimus legem. Quaeris, quid tantula turba,
dextera quidve trium sit profectura Virorum ?
Dicta lubens repeto : tribus his aut lurida filum,
aut, quod anhelamus, truculentae Parca Chimerae
disrumpet jugulum. Magnis sit plena periclis
alea ; majorem dant magna pericula famam.
Nonne Viros adversa probat, perque aspera duro
nititur ad laudem Virtus interrita, clivo ?
Pessimus in dubiis augur, timor ; arguit ille
degeneres a stirpe animos, expersque vigoris
nec poterit patriam, nec rem fulcire labantem.
Aurea Thessalicus numquam asportasset Iason
vellera, si pavidos imitatus pectore cervos,
quodlibet ad folium venti spiramine tortum,
et motae ad lunam trepidasset arundinis umbram.
Illum per Siculas ducentem carbasa Scyllas,
nec Tauri aeripedes, Vulcanum perpete flamma
naribus efflantes ; nec custos arboris aureae,
et lingua triplici, cristaque ac dentibus uncis
horridus ille draco ; nec mille pericula rerum
terrere a coeptis potuere ingentibus : illum
aurea ad extremos duxerunt praemia Colchos
nos quoque quin trahimur ? Quin fortia facta parentum
prosequimur ? Stimulos jam vel Phrixea ministret
fabula. Inaurata si vellus nobile massa
intrepidum, per cuncta feri discrimina Ponti,
impulit heroem : quid pectora nostra moratur
aurea 'Libertas' ? Quid florem animosque juventae
perdimus Helveticae ? Quid tanti nominis haeres
usque adeo stertit patriis inglorius arvis ?
Haec ubi matura conscriptus mente Senatus
pensat, et heroos Patrum reminiscitur actus :
quisque suum stimulare animum, famaque perenni
moliri dignos coepit propensior ausus.
Inde inter reliquas fuit haec acerrima nostri
formula concilii. Si portentosa Cyclopum
copia, Sicanio quae ferrum exercet in antro ;
si cum terrifico, ferus ipse, Mimante, Typhoeus
suspensum Helvetica cum libertate tropaeum,
caeli adamantea, fixisset in axe, catena ;
nos posito de corde metu, nos praepete nisu,
nos adamanteam, cum Libertate, catenam
eripere ; ac vinclis, facto simul impete, ruptis
detrahere ex ipso non cunctaremur Olympo.
Invia nulla via est virtuti : audacia vires
suggeret : audentes Deus et fortuna fovebunt.
Illa expugnandas nos ultro animabit in arces,
consiliumque dabit, quanam ratione levandus
sit patriae populus ? Virtusne, astusve, dolusve,
an Libitina furens sit propulsura molestum,
quo premitur gens nostra, jugum. Nec vero rebellem
Caesaris hinc poterit majestas dicere gentem.

Pars sumus Imperii, sub nulla Principis hasta
venum umquam expositi ; nulla vel lege tyrannis,
vel jure obstricti. Patriis qui pellit ab oris
praefectos, patrio depellit rure Tyrannos.
Induperatori, quem libera terra Patronum
hactenus agnovit, quis nostra gravamina pandit ?
Pandimus ante quidem, sed libro supplice taetrum
lavimus Aethiopem : thesis haec valet unica, longas
Caesaris esse manus. In nostras ergo querelas.
O utinam longas habuisset Caesar et aures.
Maturandam opus est : rebus pudor omnis ab artis
exsulat, imbellem nec habent extrema pudorem.
Nullum, animose Baro, nullum statuere tropaeum,
nec statuent timidi. Paritur pax aurea bello :
si reddi precibus, si flexo poplite nescit
pristina condicio, non inquirenda sit armis ?
Vix umquam obsequiis solet indurata moveri
improbitas ; caelumque suo servire Tonanti,
non nisi magnorum potuit post bella Gigantum.
Alea jactanda est, quaecumque erit illa, parati
non deerunt animi. Thrasybulos atque Philenos
experiere novos. Redivivi ad classica nostra
prosilient Decii, quos nunc horrorque timorque,
ac metuendorum formido indigna Tyrannum,
pressat, et occultas inter jubet esse latebras.
Re semel incepta dabit Uria vestra trecentos
Gualtero Socios : quaeque est fiducia, nobis
Attinghusanus sese sociabit et heros.
Nec subsilvana modicam de pube cohortem
attrahet Arnoldus : dabit experientia, rerum
eventusque fidem. Quae pro communibus aris
militat atque focis, quid ni bona causa triumphet ?
Interim et ipse suos sibi Stauffackerus amicos
in patrio firmabit agro ; sollerteque cura,
ut ne immaturo desaeviat impete vulgus.
Quilibet e nobis, re sic urgente cavebit.
Ista quidem paucis ; non omnia quippe papyro
credimus : inde tamen, si sic consulta probaris
foedera, si Patriae pro flore et amore fidelem
egeris Harpocratem : pro nostris denique coeptis
pectora magnanimi si ostenderis aemula Bruti,
uberiore istam texemus schemate telam.
Ne tamen adversus tibi causet phasmata scrupus,
conjuratorum nihil Unio quaeret iniqui,
nil petet indigni. Stabunt sua jura Tonanti,
stabunt Imperio : sed Libertatis ademptae
ut reparetur honos, pubes avidissima stabit.
De tribus ergo Viris, qui sic jurata novarunt
foedera, sic animo tecum, Wernere, voluta,
nos, a consiliis in publica commoda coeptis,
nos, nisi fracta ruat convexi machina caeli,
labaturve Orbis ; nec Castra in rupibus altis
condita ; nec vallis munitae ingentibus arces ;
nec tuba, nec lituus, nec flamma, nec hasta, nec arcus ;
Landenbergiacae nec fulmina propria bili,
sed neque Gaesslero consueta tonitrua terrent.

## DE SACRAPARUM EIUSDEM REGIONIS AUSTERITATE.

H1_05

Hanc tibi vicina trutinandam mittit ab ora
ille, cui patrium subtrahit ira focum :
subtrahit ira focum, quique ipsis carior aris,
quique focis, dulcem subtrahit ira Patrem,
nam quid ei superest, geminos qui luminis orbes,
quique omnem e gemino perdidit orbe diem ?
Nec tamen illa meo venit ira aut febris ab aestu ;
flamma mihi cunctam fert aliena crucem.
Nosse cupis, qualem designet epistola flammam ?
Pulsat, et ante tuas stat, Peregrine, fores.
Praecipitem te fama refert agitare furorem,
Atreaque tuum fervere bile jecur ;
et caput Arnoldi jam Diris deditum, et ipsi
ultima funestas fata parare minas.
Desine meque tuis accendere, teque querelis,
insanisque aliquem fluctibus adde modum.
Quos ego ab extremis cogor proferre medullis,
tu mage, tu questus corde reconde meos :
nec dedigneris justas audire querelas,
jam pridem indignas qui vomis ore minas.
Visus erat vester patrias ingressus in oras,
candida, per placidam, vela tulisse, ratem ;
spirabant Zephyri, Typhonis nulla crepantis,
nullaque Vulturni flabra furentis, erant
Caesareos Satrapas (sic fallunt tempora) veros
quilibet e nobis credidit esse Pios ;
persuadere ullum poterat sibi nemo Neronem,
barbariaeque omnem sustulit aura metum.
Nobile principium proh quae fortuna secuta est !
Verterunt rigidi quam tua vela Noti !
Quae tibi tam tristis frontem caperavit Erinnys ?
Mutavit vultum quanta Chimaera tuum ?
Tuque Peregrino quantum es peregrinus ab illo,
nuper in ista suum qui tulit arva pedem ?
Jurasti blandum fore te, cum Praeside, patrem,
unicuique tuam pollicitatus opem.
Fronti majestas, et erat sua gratia verbis,
illa superciliis, haec caruere minis.
Tu patris et sponsi jam dudum oblite favoris,
non contentus opem tollere, tollis opes,
tollis opes certe, si, praecipiente magistro
quod tollit famulus, tollere fertur herus.
Ne tamen et vitam posses mihi tollere, cavi ;
atque pedem patria, cautus, ab aede tuli.
Extuli ab aede pedem ; mallem licuisset ab illa,
tollere adhuc salvum, perditione, patrem.
Nunc si judicio cupias contendere ; causam
sub Rhadamantheo, si lubet, ede foro.
Nuper in aprici fecundo gramine campi,
qua sua dilectus possidet arva parens,

corpore praestantes vidisti pascere tauros,
buceria insignes de meliore boves,
et virides tondere herbas, per et obvia cursim
pascua, perque hirtos luxuriare rubos.
Frons, torva, e nitido palearia pendula mento,
aequa fere celsis, cornua bina, cedris,
totaque in egregiis placuit tibi forma juvencis,
corrupitque oculos visa figura tuos.
Et cujum pecus hoc ? Cuja haec armenta ? Juvencos
ecquis tam fartos Alphesiboeus alit ?
Tonderet nostras si par generosius herbas,
nonne rei pretium grande, decusque foret ?
Haec tibi scitanti patriarum conscia rerum
turba, repente istos edidit ore sonos.
Henrici e Melchtall sunt haec armenta, juvencos
ipse inter reliquas, hos quoque pascit, opes.
Nec mora, cum misso patris ad praesepia servo,
ausus es assertam contemerare fidem :
ausus es injuste peregrinam invadere mandram,
inque tibi placitos, dicere jura, boves.
Rabula namque tuus Sarna transmissus, ineptos
dum longa evomuit garrulitate logos ;
non timuit nostras, mentem jam edoctus herilem,
irruere et clausas ultro aperire fores,
et lustrare pecus, multisque hinc inde profusis,
praeceptum tandem sic aperire tuum.
Nobiliora istos poscunt praesepia tauros,
hos sibi namque meus sistere mandat herus.
Tu contra mussare, cave : tantique Dynastae
imperium minima non inhibeto mora.
Jamque mage instanti genitor : "Quae causa, quis, inquit,
Aeacus, in nostros dat tibi jura greges ?
Falx aliena meam cur obruat, improbe, messem ?
Vade age, verre tuam, sordide stentor, haram.
Vivimus, atque tui non vivimus aere magistri :
non minuunt nostros aera aliena focos.
Praesidis ad solitam, qua fluctuat ipse, phrenesin,
jure meo partis cedere nolo bonis.
Hunc neque prolati piperato scommate verbi,
sed neque morsum ullo, movimus esse probro.
Conscia mens recti ridet mendacia vulgi,
non facit Henricum, conscia culpa, reum.
Si tamen ex me ullam probet haec vicinia noxam,
ultro ego, delicti pro gravitare, luam.
Ecquis inaudita luit ulla piacula culpa ?
Damnant innocuum, quae tibi Rostra, reum ?
Vim facturo igitur, vis nostra resistet, et omni
protegam ego ipse meum, vique manuque penum,
verna sub haec ; istas nec flocci pendo loquelas,
perficiam famulus, quod mihi jussit herus.
Ille tuos migrare boves, migrare juvencos,
atque Peregrinum jussit inire larem.
Usque adeone suos jactat plebs rustica tauros.
Dura minusque ipsis officiosa Getis ?
Arva lacertosi posthac versate coloni,
vestraque consuetis colla onerate jugis.

Discite, obesa phalanx, stivae praecedere ; glebam
   vertat cum socio, prompta colona, viro,
brachiaque et firmos simul exercete lacertos ;
   findite quisque suos, jam sine bobus, agros.
Ut Cererem comedat, pubes silvana laboret,
   et vice torvorum ducat aratra boum
satque superque suum tulit Undervaldia fastum :
   cedere pollutae nesciet Aula casae.
Ista quis ascribat tam crasso anathemata Mopso ?
   Felle tuo tinctos, quis neget, esse sales :
forte manu stimulum, pugna hac flagrante, gerebam
   (caedam vinetum primus ut ipse meum)
et nimias dum expendo minas, nimiumque protervos,
   a famulo sparsos tam petulante, jocos ;
Battalogum pertaesus ego jam audire Thrasonem,
   in scurrae audaces, irruo fuste, manus ;
irruo, et inflicto digitos dum verbere pulso,
   clamat opem articulis, clamat agyrta suis :
et mox viperea genus omne lacessere lingua,
   et nimium laesas ingeminare manus ;
atque (ut lingua mali pars vere est pessima servi)
   blasphemo extremas ore iterare minas ;
ultricem Nemesin, Praefecti vindicis iram,
   atque infernarum dira flagella strigum.
Rebar ego, anguicomas Stygia de valle sorores,
   plura venena suis non habuisse labris,
cedendum ergo ratus, clam patre elabor in istum,
   mittitur unde tibi littera nostra, locum.
Hoc scelus Arnoldi est ; id qua sit lege piatum,
   ne puter insonti scribere, scribo tibi.
Audi igitur, quae fama tuos edisserat ausus,
   gerrarum nullis fama referta logis.
Cautior Arnoldus patriamque, patremque, suosque
   postquam dictus erat deseruisse lares :
praeses ab accepta livensque furensque repulsa,
   laesus et a questu, garrule serve, tuo ;
Henricum Arnoldi jam fessum aetate parentem,
   eximia clarum stirpe, domoque virum,
quem pietas, quem multa fides, quem candida virtus,
   quem patriae, ac ipsis vita probata Diis
non fastiditum cunctis faciebat amicum ;
   tractat inhumano, jure silente, modo.
Plectit, et elapsum dum nescit prodere natum,
   torquet, ut imbellem Parthica tigris ovem,
cogitur ipse sui certe venialia Nati
   plusquam mortalem, facta piare, luem.
Hei quam terribiles, pro laeso pollice, poenas
   vidimus insontem sustinuisse virum !
Induit aeternam violento vulnere noctem,
   perdit ab effossis lumen utrumque genis.
Ereptos oculos, et inanem luminis orbem,
   cumque oculis omnem clamat abesse diem :
clamat abesse diem, majoreque parte bonorum
   orbatus, proprium clamat abesse penum,
sic facinus, sic ille sui leviuscula nati
   proelia, pulsatam sic luit ipse cutem,

vi rapiuntur opes, poenam perpessus iniquam
stat sine luce Pater, stat sine prole Pater.
Haec mihi fama refert de tanto Praeside ; anilis
o utinam tantum fabula, fama foret.
Sed mihi vera nimis, nimis est mihi feria fama,
plusque nimis, dulci est seria fama patri.
Egregio certe dignos heroe triumphos !
Et tam magnifico congrua bella viro !
Non pudet illustres famae tam ignobilis aures,
inque adeo faedum degenerasse probrum ?
Quisnam e jure Canon, quae lex, quis, barbare, Codex
mandat ferre tuas in bona nostra manus ?
Tantane Romanam redimitus fronte tiaram
jura, in finitimas, dat tibi, Caesar opes ?
Quae vero ob digitum tam imbelli vulnere laesum,
tam jubet atroces regula ferre cruces ?
Ut geminas sub fronte specus, tenebrasque perennes,
crimina patravit qui quoque nulla, ferat ?
Quas dare non poteras, quasque umquam reddere nescis,
tollis vitales qua ratione faces ?
Si crimen punis, ego facti, ego criminis auctor ;
vertis in innocuum cur tua tela patrem ?
Quis, Peregrine, Solon, vel quis sub sole Lycurgus
annuit, ut nati portet iniqua parens ?
Nempe verecundum monstrares ore pudorem,
si qua foret probitas, si quis in ore pudor.
Sed Rozenbergae, Sarnaeque id temporis, omnis
cessit ab arce pudor, regnat in arce rigor.
Regnat in Helvetica jam, Quinta Essentia, terra,
quae vel Cecropiae det paradoxa Stoae :
eripit haec nostrum, parit haec Essentia vestrum,
in Paradigma tuum, vertitur omne meum.
Praedia, tecta, domos, agrosque, bovesque, colonus
quos putat esse suos, hos videt esse tuos.
Suitia, cum sociis, Silvania et Uria, Caesar,
numquid jure queunt dicere, verba dedit ?
Quid nisi verba dedit, dum promittendo Cimones.
Sedicios patriae Tarquiniosque dedit ?
Fallor : in Augusto nulla est fallacia ; fallis
Augusto factam, tute Tyranne, fidem.
Sed neque Tarquinios ferimus, nec ferre Tyranno.
Quibit in Helvetico, jam tribus ulla, foro.
Quondam improvisi surgent ad classica Cauri,
evertentque tuam flabra inopina ratem.
Ipse ego, qui facto graviter sum laesus iniquo,
quando oculis cassum cogor habere patrem ;
sumere cum possem meritas pro crimine poenas,
vindictam magnis non nisi trado diis.
Hoc tamen insinuo : ni tanta piacula cesses
in tibi commissum continuare gregem ;
ni Pelusiaco dignos Busiride mores
lenierit blandi mitior aura Noti ;
insultura tuo praesens Rhamnusia tergo,
non exspectatis stabit acerba flagris.
Stabit, et ut saevae reddatur talio culpae,
in sua Gorgoneas conciet arma deas.

Mens offensa nimis graviori exaestuat ira,
et quae indigna venit poena, dolenda venit.
Poena dolenda mihi te vindice, teque tyranno,
tu cave, ne fiat poena dolenda tibi.

## DE SAGITTAE TELLIANAE IN POMUM ET GOESLERUM EMISSIONE.

H1_06 Eloquar, an sileam ? Cinerisne aspergine lessum
exsul, an exhaustis epinicia digna periclis,
laetitia stimulante canam ? Mens aegra manusque
auspiciis jam functa suis, mihi mensque manusque
fluctuat, et dubia rerum suspenditur ala.
Eloquar ? Obticeam ? Quamquam meminisse paternus
horrescit portenta animus : paradoxaque rerum,
et contra ingenuos erecta Licentia mores
uberiorem optant calamum ; tamen ipsa malorum
Ilias, ac pando spectata tragoedia caelo,
dant dextrae stimulos ; rabiesque indigna pharetram
promere quae jussit, jubet hanc quoque promere chartam.
Alea jam Telli jacta est, dedit improba dignas,
(nec memorare pudet) dignas dedit improba poenas
victima : confixus jacet in paedore Tyrannus.
Haec ego si taceam, calamoque intacta relinquam,
ipsi extemplo amnes collesque, petraeque lacusque,
sideraque, et torti vicinia conscia teli,
historiae immensam poterunt pertexere telam.
Ambiguae sed enim volitantia murmura famae,
quae solidam truncare fidem, quae saepe minutum
nacta sibi culicem, turritos tergora barros.
Audet hyperbolico confestim explodere rictu,
ingenitis assueta tropis ; dum oblita decori,
detrahit, extollit, retrahitque, ac saepius atra
Thersitae macula generosum obfuscat Achillem.
Haec, inquam, ambiguae tam discordantia famae
sibila, plebeio ne tentent forte susurro
Tellium, et ingenui facinus traducere Telli :
ipsus ego tragicae spectator et actor arenae,
incoeptam jaculo, superatam cuspide scenam,
sponte mea referam ; natoque, patrique paratas
praesidis insidias, geminaeque vibrata sagittae
spicula, et irati fatum exitiale duelli
(arbiter ut rerum sit cento et purpura) pandam.
Uraniae natale solum qua fulgida ceris
atria, quaque aulas generosa pube referti
explicat Altorfi, dudum tibi trita patentem
area fert tiliam ; quae curis apta levandis,
dum laxat patulo diffusas stipite frondes,
crebrius accepta favit concivibus umbra.
Hac subter tilia (nostrae via prima querelae)
Gaesleri imperiis, hodieque, erecta superbit
pertica, regalem praetendens pertica fastum.
Huic superimpositus pompa graviore tumescit
pileus, infandas cum diro carcere poenas,

suppliciumque ingens, ac saevam Praesidis iram
comminitans, positae, si civis et accola, lanae,
hac iter instituens, praeconis voce statutos,
praefectoque ipsi proprios, non ferret honores,
nescius imperii, legisque a Praeside latae
Tellius : "Ecquid, ego, quid rustica pertica, dixi,
sive quid expositus tam grandi turget honore
pileus ? Ut magnis etiam insanire Dynastis,
et populum indigna libet exercere palaestra !
Vidi ego de trivio (quis enim non talibus omnem
destinet anticyram ?), vidi his ego saepe reluctans,
indignansque oculis ; et nudo vertice multos,
et trepida cervice alios, et poplite flexo
transire innumeros ; ubi passim a pectoris albi
indigenis, pinguisque inibi, crassique cerebri
simpliciore tribu, tam larga (urgente Toparcha)
propositae delata fuit reverentia larvae,
ad Pelusiaci quasi rursum erecta Canopi
numina, jurata plebs cuncta litaret acerra.
Nempe, quod ansa meae docuit me sera ruinae."
Callidus ac veterem versans sub pectore vulpem
satrapa, sic animos, sic explorare favores,
sic sibi devotas poterat dignoscere mentes.
Erecto quisquis cervicem inflectere signo,
aut famulum curvare genu, pronisque solebat
blandiri obsequiis ; hic dignus amore Patroclus,
hic Pylades, hic luce magis venerandus Achates
audiit : infesta tam feste affectus ab aula,
letifero tamquam dotatus ab Hercule telo,
centum Erymantheis patriam salvasset ab apris,
ingenuus quem vero rubor, quem, mascula virtus.
Helveticis cognata animis, tam frivola jussit
imperia, et rigidum sapientia scita Draconem,
non observata, Zephyris committere, lana,
ille truces extemplo iras, poenasque, minasque,
mulctasque Helvetico non dignas ferre colono :
ille, ut contemptor Divum Mezentius, arctos
damnari ad Gyaros ; ac si alter Herostratus imo
erutus ex Orco, concepta sponte, furentes
Mulciberi flammas in templa stupenda superbae
misisset Triviae ; furtove audace Promethei,
exauctorato transgressus sidera curru,
empyreis sacrum clepsisset ab aedibus ignem.
Tellius e numero, dum susque haec deque geruntur
posteriore fuit. Rebus dum nuper agendis
immoror Altorfi, nec tela, nec arma vibrantem,
insidias nec mente ullas, nec bella cientem,
non exspectatae presserunt fata ruinae.
Stabat adorandi fatalis tessera signi
pertica, quam socius nimirum effulgere fecit
pileus, egregium pro tanto Praeside signum !
Transivi, fateor ; curaeque intentus herili,
nec caput inflexi, nec genua trementia fixi,
nec proclamatos impendi pileo honores :
exposito non facta fuit reverentia signo.
Nulla tamen posito facta irreverentia signo.

Transii et Helvetica de simplicitate colonus,
omnia salva ratus, certatim hominesque, Deosque,
et tam clementem nimis offendisse Toparcham
arguor ; ac multis ultroque citroque profusis,
per clandestinos, ut erat custodia, servos
raptor, et indigno perpessus vincula tergo,
carceris in foedas trudorque, trahorque latebras.
Obrutus hic equidem : "Num me vaga turba Thrasones,
semihominem Cacum ? Num me, stimulante rapina,
incustoditos ex Praesidis arce juvencos,
Buceriaeque greges de pasto e rure, putatis
sacrilega duxisse manu ? Mens effera Caci,
et manus Autolyci similique e germine faeces,
non sunt ingenui, non sunt ex indole Telli.
Quis furor, o turbae ? Quae tanta licentia, Vernae ?
Quid sceleris ? Quae monstra tuli ? Quae Numina laesi ?
Non patitur talem mens criminis inscia pompam.
State Viri, mecumque pari contendite telo,
et paribus pugnate armis : quid pila ? Quid hastas ?
Quidque tot exsertas juvat uni inferre machaeras ?
Si virtus animis, si qua est pollentia nervis.
State viri, et nudos mecum exercete lacertos.
Non terret numerus. Quid grex armatus inermem ?
Hercle ego, si solito praesens mihi dextera ferro,
si telis animata foret (nec quippe trinodem
Amphitryoniadae libet hic exposcere clavam)
Hercle, terebratis vestra inter viscera costis,
in patula, spectante foro, testarer arena,
quid Satrapae cumulus, quid posset Tellius unus."
Sic ego ; sed fungi salsa in convicia prompti,
tu modo tu summae transgressor reprobe legis,
quem puduit prono venerari vertice lanam,
jam modo, jam Sociam supplex venerare catenam,
cras ubi purpureus rursum sua lumina nobis
protulerit Titan (tibi quippe nec aurea lucem
Cynthia nec rutilus dabit hoc in carcere Phoebus)
ipsusmet tragicum tibi Satrapa praecinet actum,
mendaces alias reperi hac in voce prophetas
axem ergo medium Phaeton redivivus anhelis
cum tenuisset equis ; et carcere ductus opaco
Tellius, ante oculos et Praesidis ante tribunal
sistitur, hocce suam dicturus judice causam.
Ille ardens oculis, et torvam nubila frontem
obsitus, ore minax, alter feritate Lycaon,
"Tu quoque, tu nostris, inquit, temerarie sceptris,
tu nostris adstare oculis ? Tu Dave, supremum
Arcadica gravitate audes contemnere Scitum ?
Quae tibi Tisiphone, quae mentem agitavit Erinnys,
ut Domini leges, ut in exorabile verbum
plusquam affectata violares, barbare, culpa ?
Imperium nobis, fascesque reique gerundae
independentes ignoras esse secures ?
Caesarem, et Ausonium laesisti, perfide, sceptrum."
Nunc tandem insidiae, dudumque agitata patescent
consilia. "At motam tu nunc stupor ex cute quercum.
Pluribus ille quidem, sed ego brevioribus orsus,

Oedipus haud equidem, sed nec sum, o Satrapa, Davus,
nec sine corde stupor, nec sum sine mente Choraebus :
de plebe ingenuus, patriae, Regisque, Deique
praefectique sacras, sum liber amicus, ad aras.
In jugulum, sic juro, tuum nec tela, nec ullas.
Molior insidias, tolle hanc e pectore curam.
Praeteriens quod vero tuum, cum schemate, contum.
Rusticus externo non sim veneratus honore,
si scelus est, dolor est : lex ignorata reatum,
quod reor, imminuet ; potior mihi cura peculi,
et studium pecoris, quam res spectare forenses.
Qualiscumque tamen, levis est, si culpa vocanda est.
Novi ego, praepositos, clavumque in plebe gerentes
divini quamquam non sum de classe Platonis,
novi ego Magnates vulgo magis esse verendos.
Id vero obsequii, suspensae, o Satrapa, lanae
aut insensato confertim impendere trunco,
nullus ab Helvetica docuit me praeco cathedra.
Da veniam fasso, levet ignorantia culpam.
Expositi certe tam obscura aenigmata gryphi,
Delphica, quod dixi, mihi nec cortina, nec ullus
Oedipus explicuit, rudiorem agnosce colonum,
qui nisi peccasset, quid tute ignoscere posses ?"
Ille iterum flammasque vomens irasque volutans,
verbique impatiens : "Quid garrule stentor inanes
deblateras nugas ? Nulla hanc inscitia culpam
fecerit immunem : per rura per oppida sparsum
nescire edictum, nimis ignorantia crassa est.
Ne tamen intereas, superest tibi meta salutis
unica ; tu paucis, quid facto opus, accipe verbis.
Telifero certare arcu, torquere sagittas
certius, et curvo jaculari spicula cornu,
diceris ante alios hac tempestate peritus.
Tu novus Eurytion, caelum per inane volantes
diceris accipitres, ipsasque e nube columbas,
tam dextre emisso, tam scite figere telo,
ac si Thessalicae populator Acastus arenae,
sive pharetratus te progenerarit Apollo.
Quare age, si tantum torquendo nomen ab arcu,
si tibi fama venit ; turba hac comitante penates
vise repente tuos, telumque audacter et arcum,
unde tibi tantum peperisti nominis, affer.
His te accinctum armis etiam tuus ille sequatur
pusio, maternis qui ludere doctus in ulnis,
non nisi pulcher Hylas, matrisque, patrisque voluptas,
deliciaeque domus, patriaeque Hyacinthulus audit.
Hoc puero famuli, tu telo armatus et arcu,
este citi reduces. Praebere impensius aurem
Caesareis Satrapis, et Suitium et Uria discet."
Paretur scitis, arcus cum duplice telo,
(sic praesaga meam monuere oracula mentem)
arripitur, vitaque mihi jucundior ipsa
filius ad laevum trahitur cum Patre Tyrannum.
Hic tandem eructans conceptum in corde venenum
barbarus : " In magna juvenumque senumque corona,
experiamur, ait, quid nostri dextra Cydonis,

et tam famosi quid possint spicula Telli
malum hoc, (ipse manu malum tum forte gerebat)
malum hoc, ecce tui statuendum in vertice nati,
Figes ipse tuo, nati de vertice, telo :
hic locus, haec statio ; dabit hic tibi pusio metam,
centum ac vicenos faciet distantia passus,
sume celer jaculum ; commissa piacula solus,
dejiciens pomum de vertice, diluet arcus.
Sic volo, sic jubeo ; nec verbo obsiste jubenti."
Sistitur interea, palumque revinctus ad hirtum
parvulus, imposito fulvi diademate mali,
cogitur invisam patris exspectare sagittam.
Territus imperiis, et iniqua lege tyranni :
"Mene, inquam Armenia reputas de tigride natum ?
Me Libycam suxisse feram ? Nec monstra Pelori,
nec mihi Caucaseae dant incunabula petrae.
Tu Phlegethontaeas potius tranare paludes
praecipe, et anguinea redimitum terga caterva
Cerberon, immisso licitari in proelia telo.
Ad prolem, innocuam, nocituram efferre sagittam,
quae poterit ratio, quae cogere caussa parentem ?
Exspirare equidem procerae e vertice fagi.
Pendulus, aut imam mihi, malo, dehiscere terram,
quam mihi tam caram jaculo praefigere prolem."
Pluria dicenti, technasque dolosque neganti,
et nimis horrendum, nimis exsecrabile probrum,
quod vel Sicanios poterat terrere Tyrannos,
frustra ejuranti : "Torque, inquit, et ejice telum,
aut refer insidias ; medium hic non suppetit ullum.
Sic volo, sic jubeo." Proh, quanta aerumna paterno
illapsa est animo ? Quae cura ? Quis horror, et angor ?
"Dirigui, tremuere artus, subitoque per imas,
heu quam terribilis transivit mucro, medullas !"
Perstitit imposito dilectus pusio malo ;
perstitit, et dulcem gemebundo murmure matrem
Saepius ingeminans, iterumque iterumque parentem
blaesulus, et turbae pavidus farragine, clamans,
anxium in afflicto duplicavit corde dolorem.
Ter volui torto dimittere spicula cornu,
ter trepidae cessere manus : tandem ipse supremum
voce fatigo polum, palmisque oculisque levatis :
"Summe Pater, cui justa placent, qui semper egenos
respicis atque humiles, tu cuncta tueris ab alto,
tu rerum ac regum tumidas moderaris habenas,
nunc invita mea jacturum spicula dextra,
nunc, inquam, indigna compulsum lege, benigno
respice praesidio, jaculumque, arcumque, manumque,
sortemque ancipitem, divino dirige nutu,
si Tibi juris amor, si detestaris iniquum,
quo premimur, fastum ; titubantem dirige dextram,
dirige mucronem. Confestim animosior arcum
arripio, pariterque oculos telumque fatigo.
Icta repende fugit, volitansque sagitta per autas,
dante Deo dextramque simul, ferrumque regente,
figitur in medio praefixi cortice mali.
Cernere erat, crebram suspiria larga cohortem

ducere, nec ficto lacrimas effundere planctu.
Aligeram cum vero simul videre sagittam
stridore insolito, motoque per aera gyro,
propositum penetrare scopum, salvoque pusilli
vertice, puniceum tam dextre evertere pomum ;
tristia concepta redimens praecordia cura,
omnis inaudito sonuit vicinia plausu.
Praeses ut excussum tam scita cuspide malum
a cervice, videt passus volitare trecentos,
nigra colubrino suffusus corda veneno,
invidiaque fremens, oculisque hinc inde retortis,
Dum vibrante meas rimatur lumine vestes,
alteram in interno reperit thorace sagittam,
horrendumque tonans : "Quid enim temerarie nequam,
ecquid, ait, vetiti vult occultatio teli ?
Num, scelus, haec nostro servasti spicula collo ?
Prome rei causam, vel te crudele macellum,
improbe, cumque arta manet ingens poena catasta.
Jam Libitina reum, jam te Rhamnusia vindex
arguit, et merita condemnat, perfide, furca,
posteritas sed nequa meos incessere fasces
ausit, Avernales si mox damneris ad umbras ;
adde fidem verbo : dabitur tibi libera vitae
gratia, si, fidis (quod strictius impero) labris
dudum compositas inimico in pectore technas
et mihi suspecti pandas mysteria teli."
Sic ait, et dictum confirmat fulmine verbum.
Inde animosus ego ; servatae causa sagittae
a populi studiis, et consuetudine, pendet,
unica bellisequam non ornant tela pharetram.
Perpende Armenios, Thraces scitare, Cydones
consule, et Helveticae mores disquire juventae :
quis Scytha, quis Parthus, vel ubi Tirynthius heros.
Unico in expositam jaculo descendit arenam ?
Hercle autem a recto si forte fuisset aberrans
prima sagitta scopo, frontique infixa pusilli,
innocuo dulcem maculasset sanguine prolem :
altera confestim, male fusum ultura cruorem
altera arundo tuas penetrasset cuspide costas.
Duplicis haec jaculi causa est : hinc disce fidelem
Telli candorem. Jam cetera scribere amantem,
jam rege Phoebe manum, propriisve edissere verbis,
quis furor e taetrico, quam immitia fulgura vultu,
quantaque Gorgonea sint missa tonitrua lingua !
Numquam ego Tarpeium simul explosisse putarim.
Fulmina plura Jovem, quamquam ipsa Pyracmonis arma,
cunctaque Trinacrium gestarit tela Cyclopum,
tandem ubi detonuit, rabieque exterruit orbem,
si promissum, inquit, fieret revocabile verbum,
tu modo, tu fractis, impostor callide, talis
feralem decorare rotam, vel stipite ab alto
pendulus, infestos deberes pascere corvos.
Sed fidei sit firma fides, sint debita verbo
pondera. Vos famuli praecepta in herilia prompti,
ferte citi funes, date vincula, lora, catenas ;
atque repente reum tam perniciosa professum

crimina, praevalido constrictum fune, propinqui
ducite ad ora lacus. Mens est id temporis ipsum
findere nave lacum, Zephyrisque faventibus, arci
Cussenia censi festinam advertere proram.
Hic locus, haec requies, haec Telli congrua sedes.
Maturate viam, quassae sua carbasa cymbae
pandite, et in media spolium hoc praepingue carina
(ne vafer erumpat) firmis religate catenis.
Nos ubi praedictam ratis advectarit ad arcem,
ut liceat tutis imposterum et esse quietis,
ex ejus meritas sumemus crimine poenas ;
regia, carcer erit ; famulantum turba, catenae ;
area, pulvinus ; rupes excisa, grabatus ;
culcitra, strata silex ; Thetis arci proxima, potus ;
cinnama, paedor ; Arachneae conopea telae.
Hic hilares sine sole dies, sine sidere noctes
vivet, olorinas hic tollet vertice cristas.
Sic mihi Gaeslerus. Qui vero moratur in altis,
inque humiles caeloque simul, terraque tuetur,
Serius edocuit, quam cassa mole, superbus
et fremat, atque animo meditetur inania, mundus.
Veliferam laxare ratem, tortosque rudentes
solvere, et aeriis committere carbasa ventis,
jusserat immenso tumefactus Satrapa fastu.
Jamque fere medium faustis carchesia velis
obtinuere lacum, crebroque celeusmate turba
interim, et effusis in me sannisque probrisque,
intempestivo repleverat astra tumultu :
Cum Deus, ecce tibi, qui stagna tricuspide telo,
quique lacus vitreos, ac salsas temperat undas,
hospitis impatiens, et iniquo scommate motus,
Aeolio nimium suppressit turbine plausum.
Namque repentinus confundere nubila nimbus,
vela ferire Austri, divellere lintea Cauri,
atque una Boreaeque truces, Zephyrique, Notique,
et rapidi mugire Euri, subitoque per omnem
bella movere lacum ; nullumque verendo tridentem,
undique laxata malos incessere habena.
Inde simul terreri omnes, rabieque, metuque
attoniti pallere viri, trepidare ministri,
tollere clamorem Praeses ; consurgite nautae,
solvite vela citi, remos impellite servi ;
et parili studio viresque, animosque, manusque
tendite, quaque licet motas superate procellas ;
eripite e tantis vitamque animamque periclis.
Cassus ubique labor : tragico bacchantur hiatu
Circius, et Boreas, et inexorabilis Auster :
murmura rauca crepant, agitataque atrocius unda
pulsat anhelantem, spumanti vortice, navem.
Credere tunc licuit, Gaessleri in Carbasa totam
jurasse Aeoliam ; Corique, Eurique ; Notique
conspirasse omnes in mutua proelia vires.
Tandem igitur famuli : "Quid pondus inutile cymbae
Tellius ? Afflictam propugnet et ipse carinam ;
olli et dexteritas, et habentes robora nervi :
sulcet et ipse lacum." Placuerunt verba Tyranno.

Erigor, aerati solvuntur corpore nodi,
laxantur manicae : "Si cura, ait, unica vitae,
si tibi lucis amor, communem suscipe sortem :
aspice, terribiles ut scandunt sidera fluctus !
Fare age, flectendis si qua est tibi gratia remis,
arbiter esto ratis : rege carbasa, dirige clavum,
quoque modo poteris praesentem averte ruinam.
Sic tibi, si motas vel Marte vel arte procellas
vincere, si tantam doceas evadere Scyllam,
nobilis erectas Hecatombe stabit ad aras.
Pareo ; et eximiis vinclorum a mole lacertis,
consiliis jam certus ego considere transtris,
sollicitos agitare artus, insistere remis
acrius et velis, exemplo ac vocibus hortor.
Ipse adeo immites studeo terebrare procellas,
Syrtibus e mediis torquere ad litora clavum,
proramque ancipitem saxosae appellere ripae.
Multa quidem rupes, et crebrae ad litora petrae,
difficiles fecere aditus ; tamen impete facto,
horrisonos postquam ventosa tragoedia flatus
leniit, et motam Deus ipse tridentifer iram ;
saxa per et scopulos Suitensi allabimur orae.
Hinc propter ripam petra undique et undique clausam ;
dum vehor, ambiguam cum libertate salutem
effugiique ansam meditata examino cura.
Dumque rei satago, remosque manusque fatigo,
cernimus e ripae spatiosum margine saxum
erigi, et a portu multam se extendere in undam.
Id ratus effugium, socios acclamo, cavere
hunc scopulum, et certam jubeo vitare charybdim.
Illi iterum exanimes, dum prora excurrere quaerunt,
puppe petram feriunt. Telum ergo animosus et arcum
arripio, saltuque petram dilapsus in ipsam,
omnibus extemplo nervis ac robore toto
ocius impulsam, ventis transmitto carinam.
Inde vadum nactus, praerupta cacumina montis
Saxa per et salebras, per et aspera tesqua, nec ullis
trita prius pedibus, caprearum more pererro :
semita nulla patet, silices et inhospita duram
dant mihi lustra viam, trepidi qua cornua cervi
abjiciunt, captantque citae sua compita dammae.
Ad portum interea pertingere Praeses, et acrem
scandere coepit equum Brunnamque unaque per agrum
pergere Suitensem : sed quamquam barbarus esset
Bellerophonteo vectus per inane caballo,
Cusseniacensem non vivus iisset in arcem.
Namque mihi stabilem facturus et ipse quietem,
anticipare vias, equitem praevertere cursu,
dumisque in mediis, Cusseniacum inter et Artham,
propter iter, crebro quod pertransire solebat
satrapa vectus equo, bene tectam intrare latebram
hic ego venturum jaculo praestolor et arcu :
praeteritosque animo lusus, et facta Tyranni
effera perpendens, patriaeque, mihique, meisque
gratari satagens, generosum eluctor in actum.
Si potui, o rerum moderator juste mearum,

malum ego si potui torta penetrare sagitta ;
jam quoque, summe Parens, cui munera laudis et omnem
defero vindictam praesentis arundine teli,
tolle ferum patriae, tolle his e finibus, hostem.
Sic inter densos dum obtestor sidera vepres,
arcumque intendo ; montana volumina circum
tollitur hinnitus, quassataque pondere tellus
praesidis exosam monet adventare cohortem.
Eminet ipse prior, tergo sublimis ab alto
quadrupe dantis equi : largaque est usus habena,
instituens alacres obliquo tramite gyros,
cornipedem validum crebro spumantia morsu
frena cruentantem, ferrata calce fatigat.
Dumque suas equus ipse jubas, eques ipse Smaragdos
explicat, et parilem dum spirant naribus ignem,
intumuere novo subjectum ac sarcina fastu.
Jamque propinquantem latebrae, nec tela timentem
unica, detortae pennis incesso sagittae.
Torta volat, nec cassa volat : namque ilicet icta,
perque Tyranni uterum, perque ilia transit, arundo :
luctantemque animam, Superosque imosque Deorum,
murmureque obscuro Libitinam nescio qualem,
frustra obtestantem, lethaeas mittit ad umbras.
Improviso igitur stupefacti fulmine servi,
semianimes dum sensu horrent, gressuque vacillant ;
sensim ego digredior : summoque exinde Tonanti,
qui mihi consilium, qui spicula rexit et arcum,
salvumque e mediis, per stagna, per arva, periclis
eripuit, supplex aeternum juro tropaeum.
Hoc opus, hic labor est ; hanc nostra Tragoedia scenam
hunc habuit finem. Detur victoria caelo,
lausque decusque Deo. Certe, quod cuncta nepotum
norit posteritas, Patientia laesa furorem
induit, et justos dedit indignatio dentes,
quae tibi (dum patrios repetis Gualtere penates,
ex Itala tellure redux) volitante papyro,
nec tamen ambiguo volui narrare relatu.
Cuncta quidem Suico jam Stauffackherus in agro
audiit ore tenus, patrios defendere promptus
ingenua virtute focos. Hic Foederis icti
ductor et Achitophel, dubiisque in rebus Ulysses
officiosus erit. Spirat mea dextera Martem,
pro Patriae flammis, ipsos non lenta per ignes,
atque, ubi fata volent, medios ruitura per hostes.

## DE OCCISIONE PRAEFECTI ROZENBERGENSIS.

H1_07
Si tibi nulla meae pariant fastidia chartae,
   inter, o, egregios, pars, generosa, Viros,
excipe tranquilla non vanas aure querelas,
   e gremio patrii, quas tibi mitto, soli.
Tempora multiplicum serie calcata malorum
   vivimus, indignis obruimurque malis.

Nequitiae alternos patitur gens nostra furores,
efferus hinc Phalaris praesidet, inde Cypris.
Commodus in pretio est, qui nostrae incommoda terrae
optat, et injustas semper anhelat opes.
Eminet Aufidius ; munitas Clodius arces
occupat ; in primo stat Catilina gradu.
Fanda, nefanda suis sunt dissona legibus : Udo
jacturam armenti sustinet, Ulfo tori.
Ire per extentum dum plebes patria funem
abnuit, aerumnis plaustra referta subit.
Turrigeris qui Castra habitant circumdata vallis,
cuncta licere sibi, quae libuere, rati ;
materiem nostrae dudum tribuere querelae ;
Conrado haec iram praebuit, ira necem.
Praebuit ira necem, quam nostro offensa Tribuno,
dextra inter patrios, intulit ista, focos
patricium, fateor, fudit mea dextra cruorem,
foede attentatum fortiter ulta probrum.
Quae tibi dum refero, terreri desine : causam
expedio breviter sanguinis, atque necis.
Rozenbergiacum qui nuper Satrapa castrum
rexerat, in claris census et ipse viris,
dum sibi, dum nobis infamem aspergere labem,
succensus Gnidiae, nititur, igne deae :
in sua funestos excivit colla crabrones,
pocula quaeque aliis miscuit, ipse bibit.
Temporis ardor erat, multoque Hyperione fervens
Sirius aestivos irradiabat agros.
Pectoris ardor erat, multaque libidine flagrans
"Undervaldiacos", Praeses, obibat agros ;
qui Bacchi ac Veneris cum urgente calore, vagantem
non procul a nostra sisteret aede pedem,
pulchra verecundo spectata est femina vultu,
inter sollicitas officiosa manus :
femina conspecta est, non laevo sidere nobis
foedere legitimi jam sociata tori.
Grata quidem facie (desit jactantia verbo)
flore pudicitiae sed mage grata suae.
Hanc ubi Sotadicus, vultu petulante, Cinaedus
ambit, et effreni luminis orbe legit ;
ecce Dionaeo quantocius advolat arcu
aliger, ac flamma cinctus edace, Puer.
Letifer ille puer, qui condit melle venenum,
qui captae prohibet mentis habere modum ;
caute repente suas acuit candente sagittas.
Cuspideque amentem figit amante virum,
usque adeo, ut castae floremque decusque maritae
tentaret Cyprio commaculare probro.
Affinem interea me cura domestica silvam,
incustodita, jussit inire, domo.
Silva petita fuit, frondes ubi subter opacas,
frigida solares temperat umbra faces.
Improbus absentem simul atque Toparcha maritum,
inque domo solam degere, cernit, heram.
Opportuna avidae rimatur tempora flammae,
scrutaturque omnes, in sua furta, vias ;

ingenuique simul rupturus frena pudoris,
conjuge jam viduos audet inire lares.
Audet et hospitii temeratis, advena, sacris :
paene maritalem sollicitare fidem.
Instat amans, fessoque sibi multumque calenti
aptari instructis balnea, mandat, aquis.
Mandat et anxiferas Vulturno credere curas.
Atque vacillantem longius esse metum.
Namque hilarem luxisse diem, quo mutua possit
foedera jucundus conciliare torus.
Obstupet invisam mulier perterrita pestem,
ilicet ingenuas tincta rubore genas.
Attonito sed enim premit omnem corde dolorem,
horret anhelantem prae tamen angue procum.
Atque (ut femineo vis est quoque multa sub astu)
"Certe hodie victrix, inquit, amoris ero ;
erudiamque orbem - quis fallere possit amantem ;
sedabunt reprobam balnea nostra sitim.
Meraris efficiar, quae mentem induta virilem."
Assyrium, illaeso plexit honore, ducem,
haec tacitis meditata labris, clam Praeside, mandat
Conradum propero mox remeare gradu.
Hospitibus flagrare domum. Studiosior inde
ancillae famulas coepit obire vices ;
usque etiam ambiguis rivalem ludere verbis,
et Fescenninos usque inhibere jocos :
quin etiam manibus nymphaeum aptare, nec ullam
in mandata proci cetera ; habere moram,
instruitur jusso caldaria cella liquore,
ganeo sic structas laudat et intrat aquas ;
hic quasi Campanae recrearent corpora Baiae,
laetitia plenos intonat ore sales.
Et quoniam sua cuique deus fit dira libido ;
unus in ore salax, unus oberrat Hymen.
"Tuque, ait, o mulier, fruere his suavissima thermis,
tu mecum hic socia dilue corpus aqua.
Intempestivas laxemus in otia curas,
utamurque datis, dum favet hora, bonis.
Fare age, et obstantes velocius exue vestes,
cumque timore ipsam pone repente togam,
illa : "Importunos tu vero facere servos
interim, et una alias, praecipe, obire plagas.
Rara fides famulis." Dicto paretur, abitur :
Verna per anticas cedit uterque fores :
dissimulans abitum postica, femina, porta
exsilit, ac varias itque reditque vias.
Utque pudicitiae ferat illibata triumphum,
eluso tacitam quaerit amante fugam.
Dum fugit et trepidat, Phaethontis ab igne calentem,
conspicit, ac reducem laeta salutat herum.
Historiamque omnem fusis narrare querelis,
deque lacessito multa referre toro.
Obstupui, gressumque haerens vocemque repressi,
percitus indignae lubricitate rei.
Inde quiritanti : "Muliebrem siste tremorem,
moechum ipsum in tumidis experiamur aquis.

Pro tam pestifera lenonis febre, Galenus
nec queat ipse parem, nec dare Cosmus opem,
incidenda suo gravis est arteria ferro,
languori antidotum vena recisa dabit.
Tectum igitur furtim limenque ingressus, obesam
conspicor in thermis luxuriare feram.
Conspicor in mediis sitientem Tantalon undis,
nec sedare suam, me sine, posse sitim."
Ipse metu attonitus, dum malleus urget et incus,
effugii haud ullum dum videt esse locum :
stamina ne rumpant tetricae fatalia Parcae.
Invocat una omnes caeli Erebique deos ;
aureaque immensis promittit saecula votis,
et geminat pavidas, ingeminatque preces.
Atqui ego, cui validam stipaverat ascia dextram,
cui dederat stimulos hinc pudor, inde furor :
excita cui multum duplicaverat ira calorem,
praesidis, armata, colla saluto, manu.
Arma securis erant. Haec indignata, protervum
impetit, in monstro febricitante, caput ;
atque paroxismum violento exterminat ictu
exstinguens una flammam animamque via !
Nempe gubernatas tam injusto jure secures
plectere quae norat, sola securis erat.
Illa quidem nobis, in frontem illisa Toparchae,
a Paphio immunem reddidit igne domum.
Hic facti tenor est, haec fusi causa cruoris :
commisere istam bilis et ira necem,
fama sub haec nostros incessit multa penates,
terrore ac rigidis stridula fama minis.
Rozenbergiaci caedes inopina Vicari,
armabit cunctas in fera bella manus.
Sufferet horrendas Conradi audacia poenas,
defendetque ferum gratia nulla reum.
Si sapit, extremas Euro petet ocior Alpes,
inque Lepontinis quaeret asyla jugis.
Longa Dynastarum manus est. Me vero nec ullus
terruit, hac vulgi garrulitate, metus.
Sed neque Sarnensi Landenbergerus ab arce,
in nostra ultrices intulit acta manus.
Dissimilat, scelerisque pudet, famaeque loquacis
perdita Lethaeis nomina vellet aquis.
Praefectorum acres ferit haec infamia mores,
corroditque imos perpete verme sinus.
Ne vero agnatis, turbaeque refrager amicae,
longius a patrio quae jubet ire solo ;
proxima sopitum simul ac Pallantias orbem
coeptarit croceis irradiare genis ;
cedam equidem, profugusque meis tantisper ab aris,
ut Jovis evitem tela, cavebo Jovem.
Digrediar ; Sarnaeque iram, Satrapaeque furorem,
atque intentatas, vincam abeundo, minas.
Si tamen ulla meos vindicta petatur ob ausus,
area vindictae stabit aperta novae.
Et ni laeva mihi mens est ; scelus hocce petulcum,
ipse Dynasta, scelus, si tueatur erit.

## DE PRIMA CONFOEDERATIONE PERPETUA, URANIENSIUM, SUITENSIUM, AC SILVANORUM.

H1_08

Magne Monarcha orbis, cui dia potentia summas
imperii nuper Romani indulsit habenas.
Cujus Hyperboreos majestas sacra Triones
implet et egregiis, quos portat ab hoste, triumphis
spargitur ad fines, a vespere solis, Eoos.
Da veniam, si charta volans, o inclite Caesar,
impare regales sermone morabitur aures.
Quod tua majestas, et magnificentia sceptri
Uranios, Suicos, Subsilvanosque vetustas
Imperii gentes, sub libertatis avitae
vivere lege jubet : quod eosdem praecoce nuper
perculsos tonitru, latique anathematis acri
fulmine proscriptos, ab inanis crimine culpae
reddidit eximios ; eadem fidissima tellus,
gens eadem meritas ad regia limina grates
destinat, ac tantum provectat ad astra favorem.
Post rerum exhaustas, jam mitior aura procellas
composito Mavorte subit : jam nubila Phoebo
cedit, et in gratum tempestas solvitur imbrem.
Acrior Helveticas exarsit flamma per oras
hactenus, Aetnaeis quam eruperit ulla caminis,
Gorgonidum furias, et conjurata Medusae
spicula pertulimus : manifestos cominus hostes,
eminus occultos, viresque perinde virosque,
insidiasque simul, technasque, irasque, minasque,
ac nimis infestas patientia vicit Erinnys ;
quas ut magnifico fas sit superare deinceps
numinis auxilio ; socias cum foedere leges,
quas adamanteae nequeant abolere liturae,
sanximus ; atque ipsas (ne quis petulante cavillo
Maevius, incoeptum queat usquam arrodere foedus)
Caesareae, prout acta sonant, transmittimus aulae.
Decretarum igitur sic audit formula legum.
Numinis augustum praemuniat omnia Nomen.
Mens hominis sensusque labant, spatiisque videmus
cuncta perire suis : Lethaeae oblivia ripae
plurima saepe vorant, memori quae mente teneri
jugiter, ac seros meminisse decebat in annos.
Jure igitur merito, pro posteritate, perennes
scribimus in tabulas, chartisque notamus, Honesti
quicquid habet specimen ; quicquid Pacemque, Decusque
promovet, humanos quicquid conducit in usus.
Nos ergo Alpinis vicini paene Salassi ;
Uranii, nos laeta inter viridaria Suici,
nos quoque Romano Silvani sanguine creti.
Lectori ingenuo, nostra haec cuicumque patescet
charta, sed et toti scita haec proponimus orbi.
Saecula duritiem superantia marmoris omnem,
tamque graves fortunae, ictus, tamque aspera Martis
fulmina, per trinos dispersa haec Natio pagos,

tutius ut posthac patriis arceret ab arvis ;
utque suas tutari animas, serva<re> penates, (vers lacuneux)
ducere pacificam, meliori sorte, quietem
posset, et oppressas defendere fortius aras :
mutua nos ipsos initis, in foedera, pactis
jurisjurandi praemisso, adstrinximus, actu ;
quae neque tempus edax, nec temporis ulla vetustas
deleat, inque annos quae sint valitura perennes.
Foederis istius virtute ac robore, fidam
alter in alterius spondemus commoda dextram ;
pollicitamur opem, conjuratasque vovemus,
suppetias ; quas aere suo, quas quisque crumena,
consilioque, manuque feret : sive usus id ipsa
exigat in Patria, seu qualiscumque vocarit
nos extra patrios, vis atque injuria, fines.
Atque ita pacta fides, nos una armabit in omnes,
quin etiam in quemvis, qui de nostratibus ullum
laeserit indigenam ; qui vimve, scelusve, nefasve
vel prior intulerit, vel cuiquam inferre pararit.
Interim et in caris siquis vitaeque, animaeque,
fortunaeque bonis, dispendia passus ab ullo
jacturamque foret ; mersis nos illico rebus
consulere, ac sociam pro terrae viribus, ultro
ferre decebit opem : conventio donec amica,
aut implorati sententia juris, abundo
suppleat illatam pensetque levamine noxam.
Cavimus hoc ipso jurati pondere verbi,
atque ratum volumus ; leges ac jura daturum
ne legat allophylum sibi tellus ulla dynasten ;
externo sese de nostris nemo colonis
mancipet imperio, nisi consultatus id ipsum.
Pagorum populus plebisque indulta probarint
mortali sed enim quivis e semine cretus,
femina masque simul, non detrectabit honestum
servitii perferre jugum : sua quemque potestas
legitimo sub jure regat. Dominosque, suosque
quisque Magistratus (quantum aequa modestia suffert)
audiet, ac dicto licitos parebit ad usus.
Hos citra dominos, siquis violentior ullam
e tribus his populis invaderet accola terram,
civemque in pravos quemcumque lacesseret actus ;
ille sator litis, plebique inimicus alastor,
commotas donec melior sententia tricas
solverit, officii nullo usquam munere dignus
audiet, atque suos inglorius exiget annos.
Conjuratorum cuncti sub foedere censi
Helvetii, tellusque simul quaecumque cavebit,
ne peregrina usquam, jusjurandumve datamve
prostituat cum gente fidem : suspecta proinde
colloquia, et factos extraneo ab ore susurros,
atque leves quascumque, vetant haec foedera, gerras.
Eximii nos quippe sumus, nec ferre secures
convenit externas. Quamquam haec impune gerentur
omnia, cum reliquis si consultatio Pagis,
propositaeque rei praecesserit aequa facultas.
Si novus interea technae fabricator Epeus

surgeret in patria qui sortem in utramque paratus,
e Pagis aliquem perjuro Antenoris astu
proderet ; aut turpem gestans sub veste Cethegum,
quidlibet e nostris cuperet rescindere scitis,
ille velut spurius, reus, ille tenebrio, mortis,
ad populi decreta foret ; famaque bonisque
omnibus, et fluxae multandus lumine vitae,
Foedifrago dignum caperet nebulone triumphum.
Judicis officio, primaque in jure cathedra
neminem in unitis decorabit patria terris,
sit nisi quisque sui concivis et incola Pagi.
Id genus obryzo quisquam si ambire, metallo,
non virtute volet : si grata hominique Diisque
munera, honoris amans, Rhodiumque profuderit imbrem ;
futilis imber erit, nullae incrementa profusae
gignet sementi : tectus sine fenore stabit
ambitus, atque avidi facta elargitio nummi
quemcumque indigenam, praeturae reddet ineptum.
Sedibus in patriis, si tela facemque maligni,
orta minaretur lis et dissensio, belli :
cedent arma togae ; pars sanior atque regendis
aptior ingeniis (quae pulchrae commoda pacis,
quae Marti agnatos jam noverit ante furores)
arbitra litis erit ; quantumque valebit acutus
judicii prudentis apex (seu juris ametur
ipse rigor, seu fulta bonis decisio verbis)
armicrepos mulcere animos, baccamque Minervae
auream inhumano sataget praeferre Gradivo.
Pars ibi pacis amans, nec pacta subire recusans,
consilium a reliquis, ac prompta juvamina terris
accipiet : quae vero istum comitabitur actum
impensa ac pretium per publica scita Senatus
sumptu immorigerum reparetur et aere Thrasonum.
Condicione pari, si perniciosa simultas
tres inter populos, in apertum erumpere bellum
visa foret ; Pagorum autem si forsitan alter
prudentum arbitrio vel consonus esse, vel ipsi
dedignaretur litem submittere juri :
tertius hoc casu, talique in turbine Pagus,
justitiae pacisque avidus, praebere faventem
morigero dextram, tempestivisque tueri
auxiliis, ne causa ruat deserta, studebit.
Helvetus Helvetio si qualicumque malignam
intulerit ratione necem, mors morte pianda
in sua letiferas accerset funera Parcas,
praebebit jugulum nequam ipse homicida, suoque
ilicet abruptam persolvet sanguine vitam.
Liber erit jugulumque isto, corpusque periclo
eximet ; ingenuo si teste, fideque (quod ipsi
integrum, et omnino decernimus esse necessum)
liber erit, solida simul ac ratione probarit ;
evenisse istam, vitaeque animaeque tuendae,
et non culpando facti moderamine, caedem.
Duxerit e patria quod si tellure fugacem
improbus ipse pedem : quicumque receperit ipsum
hospitio profugum, tectove, operave, penuve

foverit, exilium simul hospes et ipse subibit.
Audiet infamis ; donec communia plebis
scita Virum revocent, ac concordante Senatu
migrandi ad veteres, sit copia facta, penates.
Vulcanum Helveticis si quisquam immittere tectis
barbarus, atque adeo crepitantes spargere flammas
ausus et orsus erit, maledicti hic pullus Averni,
armosos quamquam laeta inter pascua tauros
plus mille enumeret, patriae in penetralibus ullum
non feret inde gradum, perdetque scelestus honestum
indigenae nomen ; sed et ipsum nemo paternis
excipiet tectis, nam quicquid edaxque rapaxque
Mulciber, injectae quicquid violentia flammae
perdiderit, luet ille sua solvetque crumena
furciferum oblata qui exceperit ante taberna.
Pignora ab Helvetico, popularis nemo, colono
tollere praesumat, nisi vas aut debitor ipsus
sit persolvendi, confesso nomine, nummi.
Si neuter non sit, nihilo minus absque patenti
judicis indulto, nec debitor ulla profundet
pignora, obaeratum nec plectet curia praedem.
Judici, et in nostra clavum tellure gerenti
quisque Virum, vanis, obtemperet, absque querelis ;
praetoremque suum monstrare tenebitur ipsa
quilibet in Patria, cujus sub fasce forenses
dicere vel causas, vel possit ponere lites.
Si quisquam capito, vel obesae rabula naris
temnere Praetorem, solidique refellere juris,
efferus insano, tentet decreta, cerebro ;
ille Magistratus contemptor iniquus, et effrons
ardelio, patrium damnabitur ante tribunal,
ad quaeque illati reparanda incommoda damni.
Decreta haec Populi, ne mollis inertia caeco
mergeret interitu, ne publica scita sonorae
impetus Aeoliae, multumque strepentibus alis
trans juga praecipites, veherent Alpestria Cauri :
nos genere Uranio, nos orti sanguine Svico.
Et nos frondiferae dicti de robore Silvae,
Helvetiae populi praesentes hasce, vetusto
communis Patriae firmatas rite Sigillo,
aspicere hanc lucem, vastumque meare per orbem,
intra Suitiacae, praecepimus ostia Brunnae.
Sic igitur pactas, o Augustissime Caesar,
pro fructu populi, pro pace ac foedere, leges,
ut tua Majestas, quam nostra veretur et audit
natio, Boiarica non ignoraret in aula :
jussimus Helvetico munitam nomine chartam
Caesareos intrare lares, ac supplice voto
Romanas Aquilas, ac sceptra suprema regenti,
auspicii caelestis opem, semperque faventes
exoptare Deos : ut prosper et alite dextro,
indelibatum terraque marique deinceps
provehat Imperium, Tanaisque bicornis, et ambas
Amphrysi ripas, Rhodopemque, et Cynthon, et Ossam,
famosumque feris Erymanthum, ac barbara Tauri.
Barbara regna Haemi metuendus ad usque supremum

subjuget Euphratem ; quo Pallas amica tropaeis
excita saepe tuis, iterumque iterumque virentem
implicet augusto, statuatque in vertice laurum.
Inde tuam, Rex magne, feret super aethera famam,
et decus, et partos, Germania vasta, triumphos :
Numinis arbitrio, cujus virtute patentem,
diviso imperio, regis invictissimus orbem.

## DE OCCUPATIS TRIUM CIVITATUM ARCIBUS.

H1_09

Inclite nobilium flos, et coryphaee Virorum,
   Durgea fecundo quos fovet alma sinu.
Progenies cui paene Jovi contermina, nomen
   grande per illustres continuavit avos.
A tibi devoto non aspernabere servo
   contextam paucis hanc, Friderice, metris.
Ista tibi famae plusquam centuplicis aequam
   sincera exponet simplicitate, fidem.
Fascinat haec totum mixta farragine mundum.
   Candida quae perhibet, dum nimis atra videt.
Famae materies, in tanto turbine rerum,
   nata fuit nostras inter, abunda, plagas.
Praefecti Helvetiae, volitantia tela pharetrae,
   Grissler ab insesso, victima factus, equo ;
ascia in exstructis, mactatus Satrapa, thermis,
   nobilium e patrio pulsa caterva solo :
dirutae, et excelsis obsessae in collibus arces ;
   bellata in Dominos effera bella suos ;
jam pridem Helvetios, pridem opplevere Suevos,
   Teutoniaeque omnes introiere lares.
Toggenburgiacam quin hic quoque clamor in arcem
   scanderit, ac totum multiplicarit opus,
cum nullus dubitem, placuit praesente synopsi
   historiam gestae, participare, rei.
Quaesiti juris soboles injuria, dici
   prima potest tragici mater et ansa mali.
Illa tribus populis communis Patria, nolens
   libera inassueto subdere colla jugo,
dum nequit austeros, Davorum more, Tyrannos,
   et contra pactam plurima ferre fidem ;
concilium tandem pro Libertate vetusta,
   proque bono Patriae, coepit inire, suae.
Debile principium, tantaeque audacia molis
   non nisi per trinos, est agitata, Viros.
Hisce alii, sensimque alii se jungere, et omnem
   perficiundo operi praecipitare moram ;
sacramento etiam se quisque obstringere, tolli
   malle sibi jugulum, quam tolerare jugum.
Finibus e patriis abigendos esse Toparchas,
   pellis ubi tristes condat ovina lupos.
Ista super celsos constructa palatia colles,
   castraque in abruptis esse inhibenda jugis.
Ringanturque licet taetrici, latrentque Severi,

libertate istas nolle carere plagas.
Cautio facta tamen fuit haec, expressa ; licebit
securo hic vitae cuilibet esse suae.
Non etenim ut Dolopes, Libycave e stirpe Nepotes,
nec tacti furiis, tristis Oreste, tuis,
rem sumus aggressi. Placuit defendere cunctis
sic declaratas, absque furore, theses.
Rustica barbaries nulla hic efferbuit ; arces
cepimus in summis, absque cruore, jugis.
Praefecti e patria jussi discedere terra,
deseruere suos, absque cruore lares.
Quae nobis fuerant, nequaquam bella fuerunt
effera, justitia nec caruere sua.
Nec contra Dominos, sed libertatis ademptae
contra illegitimos bella fuere duces.
Non tamen inficior, violenta hic morte supremum,
magnates geminos, oppetiisse diem.
Rozenbergensi qui nempe Vicarius arci
praefuit, obscenae percitus igne deae,
dum nequit a Cypria mentem compescere flamma,
emendaturas occidit inter aquas.
Alterum (ubi sumpto Guilielmus Tellius, arcu
cogitur ad durum figere tela scopum,
natoque impositum dum tangit arundine malum)
victor ab insesso Tellius icit equo.
Quae citra plebis - cum sint exercita - scitum,
res in privatos est referenda viros.
Principio certe somnos haec cura salubres
ruperat. Et durus quemque gravabat obex.
Praesidio armatas, vallisque potentibus arces
vidit in excelsis Patria stare jugis.
Inde exuta omnes Procerum petulantia frenos,
vexare Helveticum, nullo inhibente, gregem.
Inde Astraeae oculis caeco velamine clausis,
ausa erat ad rhombum cuncta rotare suum.
Tam bene firmatas quis Marte lacesseret arces ?
Ferret in Austriacos quis sua tela Duces ?
Atqui experta suos sunt haec quoque Pergama Pyrrhos,
tuta super firmam nescia stare petram.
Anno ineunte novas ubi fax Eoa Calendas
et Jani primum vidit adesse diem,
praesidio instructas, vallisque minacibus, arces,
suscepisse novos, lux nova vidit, heros.
Hacque ipsa, pubes Suitensis et Uria, luce,
ultima castellis fata dedere suis.
Grisler, ob exosos, ingratior aspide, mores,
dum sibi securam vix putat esse togam ;
portentosa novi coepit munimina castri
Altorsi in mediis aedificare jugis.
Nomineque inviso, Castrum quod construo, dixit,
sub scalas totam supprimet Uraniam.
Sed Jani exortas ut vidimus esse Kalendas,
aequata est plano fabrica tota solo.
Bina superfuerant Suitensem castra per agrum,
Bovercum, ac noto nomine Cussniacum :
verum ubi praedictae Jani micuere Kalendae,

castrum in Suitenses cessit utrumque manus.
Cessit, et una omnem Satraparum e plebe cohortem
ocius e nostra, jussimus ire, plaga
saeviit hic nemo, violentum nemo cruorem
elicuit, nullam lux tulit ista necem.
Ire bonis avibus, nostrae valedicere terrae
quemlibet, atque suas sivimus ire vias.
Fortiter ista quidem. Verum Undervaldia prudens
quod dextra timuit, dexteritate capit.
Dedita erat pubes xeniis de more ferendis.
(Tale Dynastarum nempe Minerval erat)
strena ferenda fuit ; sed enim quae everteret arcem
non superandam armis machina, strena fuit.
Viginti juvenes, baculos si demis, inermes,
quisque tamen strena muneribusque graves,
Sarnensem dictis arcem petiere Kalendis,
ortus ubi roseos Lucifer egit equos.
Obviat huic turbae Sarnensis Satrapa, festum
dum celebrare, sacra pergit in aede, diem.
Miratur juvenes tam munera larga ferentes.
Sub strena tectum non ratus esse dolum.
Pingue fuit xenium. Meliboeo subrumus agnus,
Damaetae ex humeris pendulus anser erat.
Tityrus et Corydon grege de balante bidentes,
Phasidis insignes Thyrsis habebat aves.
Ille saginatum baculo suspenderat haedum,
porcellum e plena protulit alter hara.
Gesserat hic leporem, fartum hic e corte caponem.
Quisque loci vescos pro ratione cibos.
Nec pulli deerant, nec amantes ardua dammae ;
ducebat vitulum Pollio, Cotta caprum.
Unus et alter erat, quos ferre Toparcha molares
credidit, aut saxum, Sisyphe lasse, tuum.
Machina lactis erat, sed pressi machina lactis,
praefecti clausas pandere docta seras.
Laudat, et ire suam Landenbergerus ad aulam.
Stipatos strena tam locuplete, jubet.
Turba, ut propositi pertingit ad atria castri,
in strenam patulas repperit esse fores.
Ergo jubet socios inter vepreta latentes
maturare suam, qua data rima, viam.
Proxima silva fuit, cui crebris nomen ab alnis,
dumeto ac densis luxuriosa rubis :
illuc terdeni, sua quilibet arma recincti,
e conjuratis, introiere, Viris.
Quos ubi condicti monefecit tessera signi,
ad castrum propero repere quisque gradu.
Praesidiumque illic tectumque repente laremque,
arasque, et captos obtinuere focos,
obtinuere omnem, domita sic arce, sagenam,
liber adhuc solus perstitit arcis herus.
Ille fero dum cuncta videt flagrare tumultu,
bellaque per plateas, perque sonare vias,
barbariae taetrum versans sub pectore testem,
verrere matura cogitat arva fuga.
Sed generosa manus telisque sparisque toparcham

cingit, et optatae nulla fit ansa fugae ;
jamque sibi summas dum credit adesse Calendas,
cum turba captas dat comitante manus.
Praeses, et obtenti farrago domestica Castri,
praesidium, proles, arx, penus, uxor, opes,
magnanimae, dum strena volat, sunt praeda juventae,
vix alibi tantum strena habitura lucrum.
Omnia salva tamen, Vernarum orchestra, Dynastes,
uxor, et ingentes, quas cumularat, opes.
Continuo extremas Patriae ducuntur ad oras.
Tesqua in perpetuos non repetenda dies.
Nullae isthic furiae : vultum subtraxit Enyo,
frenduit iratis nulla Medusa flagris :
hoc solo intonuit Rhamnusia fulmine ; capti
et patria hac celerem ferte repente pedem.
Cedere, nec Graecas regredi vos ante Kalendas,
Undervaldiaci vox jubet una fori.
Sat cholerae bibimus. Pro libertatis amore,
pressisti indignis quam Peregrine modis :
ire peregrinas hodie mandaris ad oras,
Adrasteae aliis ne cruciere malis.
Hoc Plebiscitum est. Simul ac juraveris istam,
ecce tibi perstant omnia salva, fidem.
Rerum insperata turbatus imagine Praeses.
Vere inter Saxum, jam situs, atque sacrum,
exanimisque fere vulgi formidine, sensit
horrore arrectas diriguisse comas.
Mox lapidem jurare Jovem, caelumque, Erebumque,
ac perscrutantes intima corda deos ;
seque gregemque suum donec sibi vita superstes,
in sic proscriptas nolle redire plagas :
emansurum isthinc centenos quemlibet annos,
et sic compositis, Satrapa, rebus, abit,
consimilem passa est arx Rozenberga ruinam,
parta a vicenis deditione viris.
Processum stupeas ; Ancillam hic forte morantem
Undervaldiacus fovit amore procus.
Saepe hunc demisso, per apertas, fune, fenestras,
ad Fescenninos traxit amica jocos ;
traxit Nisa suum supera ad conclavia Mopsum,
Luna cornigeram circumagente facem.
Praecedente igitur memoratas nocte Kalendas,
traxit amatorem rursus amata suum.
Hic aliud simulans, Nisamque quiescere mandans,
fune exspectantes clanculum et ipse viros
excipit, ac sociis ad summa palatia tractis,
occupat ecce omnem, nullo inhibente, domum ;
atque : "Agedum una omnes, fugite ocius, inquit, ab isto,
fulmina ne feriant vos graviora, loco",
contremuere simul, subitoque repente stupore
territi, ab exstructis prosiliere focis ;
et fragor, et strepitus, clamorque et ubique tumultus,
ferre cito trepidos jussit ab Arce pedes.
Sic sine caede actum, sine flamma ac sanguine, bellum,
quod dare non potuit flamma, vel arma, dedit
Patria tam faustas Jani sortita Kalendas,

nunc iterum excusso floret, ovatque jugo :
floret, et e trina pulsis regione Tyrannis,
servitio immunes fertque, feretque dies.
Haec rerum facies ; haec libertatis in istam
retractae terram, sic stabilita basis.
Caesarea quiscumque modo sit rumor in aula,
non aliam debet rumor habere fidem.
Quod tibi, magne Comes ; qui regiae amicus es aulae,
Caesare virtutes suspiciente tuas.
(Annua Bassarides ne credas orgia Bacchas
forsitan in nostris instituisse plagis)
paucis contexta volui proponere charta
Panicus obrepat ne Tibi forte metus.
Perpetuare adeo nequeunt violenta ; redundat
semper in auctores visque, nefasque suos.
Admordet vel capra reum ; lassusque suevit
figere mole, suum, bos, graviore pedem,
si sua formicae, si Serpho bilis et ira est,
extendit splenem si quoque musca suum :
Helvetica motam miraris in indole bilem ?
Splenemque, ac lassos incaluisse sinus ?
In tam belligera, magis admirare, juventa,
parcere victrices sic potuisse manus.

# HEROUM HELVETIORUM EPISTOLAE. LIBER SECUNDUS.

## DE VARIIS HELVETIORUM PRAELIIS.

### DE PROELIO MORGARTENSI.

H2_01

Quod tibi non poterat curis distentus et armis
mittere, cognatus jam tibi mittit, ave.
Misissetque omnem tibi dudum, Henrice, salutem.
Visa sed est nobis omnis abesse salus.
Omnis in orbe salus, et amicae spiritus aurae,
creditus est nostros deseruisse lares :
undique funestum crepitabant tympana bellum,
audiit hostiles Suitia cuncta tubas.
Fama infinitas referebat adesse sarissas,
et multa armatos cum legione greges ;
aetheraque et galeis, et apertis fulgere cristis,
Teutoniaeque omnes fervere in arma duces ;
hinc peditum bacchari aciem, fortesque maniplos,
turba, implere omnem, vociferante, viam :
inde equitum saltare globos, ac ducere passim
agmine, festivos quadrupedante choros.
Plurimus inde metus regionem incessere ; at ille

creditus est nobis panicus esse metus.
Terruit infirmum solita formidine sexum,
indoleque imbellem de sequiore gregem !
Patria quippe suas etiam conscissere vires
ocius, et segnes non tolerare manus,
nec resides jam ferre animos, sed milite colles,
praesidioque artas anticipare vias ;
terribiles nec vero minas, nec bruta timere
fulmina, amica boni gens, inimica mali.
Pax erat in votis ; hanc patria quaesiit unam :
credita sed rapidis haec fuit una Notis.
Bellum erat in votis, quaesiverat Austria bellum,
et quod quaesivit, tacta dolore tulit.
Illa quidem grandes hinc sparsit et inde querelas,
repletura suam sanguinis imbre sitim
nobilium crebri scintillam auxere susurri,
eliciendo novas perpete solle faces.
Pars jubet ejectos isthac regione Tribunos
(supremum in tota posteritate probrum)
undique conscriptis confestim ulciscier armis,
ac veniae nullum prorsus habere locum.
Ipse quidem Albertus, de tantae crimine culpae
sumpturus poenas, si licuisset, erat.
At Vindonissae postquam e regione, Nepotis
improba, Caesareum perculit ira caput ;
regia progenies, conjuxque Augusta, cruentam
ulta fuit, Nemesi praecipitante, necem.
Suitiam, et annexos texere oblivia ; totus
haesit in Argoiae nobilitate furor,
nunc immorigeros ansa meliore colonos
plectere, Teutonici constituere globi.
Pars Ludovici fautores Bavari in istis
oppugnare fero quaesiit ense, plagis.
Suitia praesertim, Marialem in cessere Eremum,
ascetasque sacri, quae fuit ausa, loci :
censa erat extremas saevae Rhamnusidis iras,
et quasi funestam promeruisse crucem.
Omnem adeo culpam, genus omne piacla, jubetur
plectere sanguineis, Thisiphonea, flagris.
Usque adeo placuit Leopoldi accendere bilem,
atque manuductum cogere in arma Ducem.
Imperat hic nobis victu interdicere, et omnem
vel depraedari, vel prohibere penum.
Subtrahit, annonam solitas vectare, quadrigas ;
perque lacum gravidas non sinit ire rates ;
pampinei nec dona sinit succedere Bacchi,
nec micam Cereris, nec tria grana salis.
Montibus occlusus discet parere popellus,
aut aegram discet perpetuare famem.
Talia dum nobis minitantem advertimus hostem,
arcere a patriis nitimur arma focis ;
et Toggenburgi Comitem legamus, et uno
placare iratum quaerimus, ore, Ducem.
Intuitu pacis, seu Principis ante tribunal,
sive in Caesareo lis sit agenda foro,
litem juridicae totam committimus Urnae,

dum quoque stet solido nostra querela loco.
Stat sine honore Comes, nec blandam admissus ad aurem,
verba dat inflato nil valitura Noto.
"Praevalet hasta togae ; Legatio cassa ; rogati
flectitur ad nullas, Principis ira, preces.
Bella geri placuit, sed eos habitura triumphos,
a Danais veteres quos retulere Phryges".
Ergo minabundis acer Leopoldus in armis,
heros consilium dignus habere Senum,
dum videt instructas ardere in proelia turmas,
cumque omni promptos Nobilitate Duces ;
consilium incoepto maturum ac utile bello
Juxta Tuginum, coepit inire lacum.
Quaestio summa fuit : "Tot montes inter et undas,
et salebra obstrusas asperiore vias,
queis tandem mediis invadi Suitia ? In illas,
semita quae possit ducere tuta, plagas ?
Cetera cum constent, viresque, animusque, penusque,
ignaros sese solius esse viae :
hac semel obtenta se demum posse quadrigas
farcire, Helvetica rusticitate, suas.
Stabat inops animi Leopoldi morio, cujus
Cynthia delirum reddidit aucta caput ;
ille subindignans sic coram Principe : "Vere
stultitiae immensam nunc patet esse tribum.
Fas mihi sit mediam vobis pertundere venam,
vel dare Phillyridis, vel Themisonis opem.
Helleberi decumis choleram purgate culullis,
Anticyraeque amplos evacuate cados.
Quaeritis una omnes intrari ut Suitia ? Quinam
exiri possit Suitia, nemo rogat,
parturit amentes non Stockhia sola Coroebos,
intra magnorum sunt quoque castra Ducum.
Scilicet in tantos referenda est palma Zenones !
Ite modo, intrusum sed revocate gradum.
Excepere meri, non absona verba, cachinni,
et placuit notas Egriae inire vias."
Anceps interea de incursibus hostis, amicam
a conjuratis Suitia poscit opem.
Ducta in campum acies, numerantur mille trecenti,
parva, sed in Martem vis generosa, Viri.
His ita collectis celeri a cursore sagitta
traditur, in denso forte reperta rubo.
Scripta per extremam fuerat membrana sagittam,
atque fere talis verba tenoris erant.
"Hostis adest, Bellona furit, vixistis amici ;
quae vos interimant, undique tela volant.
Lutea currentis simul, atque aurora, Novembris
est Sextum decimum progenitura diem,
area Morgarti furibundo tota scatebit
milite, terribiles ingeminante minas.
Hac erit hostis iter : plenis huc ipse maniplis
convolat ; hic ergo plebs monefacta, cave."
Auctor erat dubius, mihi vero, Henrice, repente
arguit esse tuam, littera visa manum.
Extulit una omnis pietatem Patria, et istam

cum tota agnoscet posteritate fidem,
maturant moniti, petitur mons Sella, priorem
Morgarti figunt in statione pedem.
Quinquaginta illic patriaque domoque repulsi
perque juga errabant, perque vepreta, Rei :
hi postliminio deperditum inire favorem
dum satagunt, nobis se sociare petunt.
Res sed habere suas, Gyarosque intrare jubentur,
inficiat sanum ne pecus aegra gregem.
Malunt unanimes, ruituri audacter in hostem,
proque bono patriae, proque salute mori.
Interea pleno tempestas ferrea cornu
irruit, atque omnes turbine vastat agros.
Prosilit invisis Leopoldi exercitus armis,
grando frequens peditum, plurimus imber equum.
Tractus ubique omnis Sellam inter et Egriam, et omnis
obsita clamoso milite vallis erat.
Trina fuit legio : cuneos at vero pedestres
ardua flammivomis turma praeibat equis.
Helveticos haec sola cupit mactare colonos,
lauroque emeritas cingere prima comas.
Spumigeri pulsantur equi, Martemque lacessunt
acrius inflatae, murmura rauca, tubae,
saxa quatit sonipes, atque ora cruenta lupatis
circumagens, flexas itque reditque vias.
Praesilit ipse ferox, peditemque invitat equester,
sellaque in abruptis quaeritur una jugis.
Cernimus Impavidi properantem, e culmine, nimbum ;
et damus orato, classica laeta, Deo.
Atque agite. O Socii : si respuit Austria pacem,
sentiat et nostras pace carere manus.
Praevenisse juvat, truncosque ac saxa juvabit
eminus, e celsis praecipitasse jugis.
Dant iter angustum collesque lacusque, nec aptam
vel juga permittent, vel dabit unda, fugam.
Cernitis innumeros, silvestria pondera, truncos
grandiaque e ruptis saxa jacere petris !
Haec juvat arma prius, juvat haec emittere tela,
dimidium palmae res bene coepta dabit.
Praecipitata ruunt horrendo murmure saxa ;
dixisses ipsas posse volare petras.
Pars filices volvunt, pars fissa Ceraunia, vastis
Trinacriae scopulis aequiparanda, rotant.
Altera pars ornos, abiegnos altera truncos,
altera nodosas, fragmina acerna, trabes
ingenti gyrant studio ; pars missile saxum
projicit, atque omnem versat in arma manum.
Credere erat, Satyros, cornutaque numina Faunos,
silvarumque omnes bella ciere Deos.
Sisyphus ipse sua dum saxum volvere dextra
coeperat, haud tantae dexteritatis erat.
Edidit horrisonum tempestas ista fragorem,
multoque attonitos vulnere laesit equos.
Pars versa in rabiem post tanta tonitrua, duros
indignabundo dejerat ore lupos :
pars furit, aestivo ceu percitus Ursus ab Oestro,

inque orbem celeres gyrat anhela, rotas.
Calcitrantem adeo sessor frenare caballum
dum satagit, pariter Sessor equusque ruit.
Terrificam sic silva dedit, cum rupe, ruinam,
fregit et hostiles impetus iste minas.
Eminus ista quidem ; mox cominus itur in hostem,
excipiunt primos seria tela jocos.
Tympana belligero clangunt crepitantia bombo,
echoque horrendos replicat ampla sonos.
Statque, pavetque hostis ; nos stantem animoque paventem
aggredimur, certi vincere, sive mori,
Continuo totis in pugnam viribus itur,
milia nec terrent bis numerata decem.
Dextra furit ferro, cadit ictus acinace miles,
sanguineoque gravem vertice pulsat humum.
Prurit in objectos tempestas Helveta Suevos,
milvus in aspectam ceu Palamedis avem.
Illa minabundas gemino mucrone bipennes
dum generosa vibrat, proxima quaeque necat.
Tot numerat casus, quot dextera concipit ictus.
Dura profecto viro, dura bipennis equo.
Pars fera stipitibus, pars dimicat altera contis,
pars acuit quernas, vindice cote, sudes.
Prima salus nobis belli praeludia, et hosti
saxa per incussus, missaque tigna, metus.
Fulmine namque isthoc turbatus equesque, pedesque
dum sine more furit, non sine mole, ruit :
nec numero paucos, queis mucro silexque pepercit,
non animadversi sorbuit unda laci.
Dux aciem revocat, Dux quaerit asyla ; Suevis
impleat Helveticas ne Libitina Scrobes,
qua licet erumpunt, ac terga trementia vertunt,
at nisi maestitiae nulla tropaea ferunt.
Parcimus, ac pontem fugienti sternimus hosti,
credentes palmam plus satis esse duplam.
Sed fugitiva acies, quaerens properando salutem,
altera in alterius sit furiosa necem.
Quacumque aspicimus, congestos stragis acervos,
plenasque exanimi cernimus osse strues.
Ter quingenti Equites totidemque hac clade caballi,
magnaque nobilium pars periere Ducum.
Ut taceam pedites, certe hic numeranda videtur
illa in sanguineo, visa caterva, solo.
Nobile Thuregum Leopoldi castra secutum,
foverat emissa, Principis arma, manu.
Quinquaginta alacres, binique in proelia cives
exierant, armis, veste, colore, pares.
Albo caeruleas, obliquo tramite ductas
gestabant, patrio quisque colore, togas.
Postposuere ipsi vitamque animamque probrosae,
Spartano Helvetica nobilitate, fugae.
Nam simul egressi, simul Austria signa secuti,
Martem iniere simul, mortem obiere simul.
O certe Fabiis, magnisque Quiritibus aequos !
O Tiguro dignos patria et urbe Viros !
Misisset tales si Rhenus et Ister athletas,

durassent cunei, Dux Leopolde, tui.
Palma sed invita non suppetit ulla Minerva,
Stantque penes solos nostra tropaea Deos.
Illorum auspiciis alter quoque caeditur hostis,
Undervaldiaci depopulator agri.
Strasbergae Dominus, nostrum radicitus agmen
in Morgartensi perditum agone, ratus,
Bruniacum superat, vastat Silvaniam, et omnem
sub sua festinat cogere jura plagam ;
verum ea collectis grassantem exterminat armis,
et non praevisam cogit inire fugam.
Usque adeo plebem Superi salvare pusillam,
ac si suppeterent milia multa, valent.
His certe obtentam gratanti pectore palmam,
et captam toties, jure sacramus, opem.
Ad majorem igitur Triadis caelestis honorem,
rite implorato pectore et ore Deo,
Publica ne rerum serpant contagia, et aris.
Exsulet a patriis, pacis alumna salus ;
jungimus unanimes in mutua foedera dextras,
foedera in aeternos perpetuanda dies,
ante quidem Uranii, Suitenses, Subsilvani,
foedere juratam pacto iniere fidem ;
illa tamen paucis solum durantia lustris,
illa decennalis foedera juris erant.
Nunc cincti omnigenis, qua Sol oriturque caditque,
hostibus, atque omnem Marte movente stropham :
auxilii vano dum nos suspendit hiatu,
offunditque meras, Caesaris aula, moras.
Dum pro quaesita dat mollia verba farina,
afflictisque ullam ferre gravatur opem.
Condidimus leges, et non violabile foedus,
quod nulla exstinguant saecula, lustra, dies.
Foederis hic scopus est ; ut libertate recepta,
vivat ab indigno, patria tuta, jugo,
ut dare cuique suum, casuque urgente, tueri
externo afflictos possit ab hoste, focos.
Neminem inostensi laedemus : eritque per istas,
hospiti et indigenae, semita tuta plagas.
Si qua tamen nostros irritet terra crabrones,
tincta Lycambeo spicula melle feret.
Parva seges ; sed multae olim, quod remur, aristae,
et velut Idaeae Gargara messis erunt.
Justitiae ac Pacis sancitum in pignora foedus,
justitiae ac Pacis fulciat Alpha, Deus.

## DE CONFLICTU LAUPENSI.

H2_02

Mitte manu chlamydem Siltris mutare crepantes
nunc jubet hora tubas Cottita superbia languet,
serpit humi fastus, dum credita moenia et ictam
non extorquendo defendis acinace Laupam,
Cogimur extemplo, quia sic fortuna ferebat,

cogimur absque tuis hostilia castra lacertis
aggredi, et ardentem pariter committere pugnam.
Vota quidem, stricto dum ferveret alea ferro,
Watten villiacas optabant plurima turmas ;
sed renuente moram, bellumque urgente Gradivo,
copia defuerat, gliscentem ex tempore Martem
seu, tibi, seu patriis, quas urbs obsessa premebat,
prodendi excubiis ; ne tali echneide sortem
nostra sibi legio faceret fortasse novercam,
turba tamen melior majorem vicit, et almo
agmina freta Deo, propria virtute tumentes
prostravere acies. Id qua ratione sit actum.
Candida proponet paucis tibi pagina verbis.
Cum truculenta suo necdum Bellona flagello
in patria fureret, me sors non laeva decorum
fovit munifica Comitis Nidoviae in aula.
Grata fuit Comiti praesentia nostra Rodolpho,
gratior integritas : patrios cum vero penates
funerea perque arva volans perque oppida palla,
spargeret expositos supremis fama, periclis ;
coepit amor Patriae Comitis superare favorem.
Ille intestino dum praeceps fluctuat aestu
iratae Nemesis, succendit in arma propinquos
clamque palamque Viros : bello praefigitur unus
inclita Berna scopus ; metam hanc hostilia clamant
agmina, et omnigenis illuc intenditur armis.
Auxiliatrices Burgundia conscia turmas
mittit, et in gyrum flexis gens optima frenis
Sequaniae populi ; pacemque exosa propinquae
terra Nuithoviae, decreta in proelia multos
ascierant Comites, qui pacto foedere in unam,
arma paraverunt nimis insultantia, Bernam.
Burgundos equites violenti turbinis instar
Jurasso egressos, Neoburgicus ipse minavit.
Allexitque Comes : peditum misere cohortes
Helveta flavicomi sitientes pila Suevi.
Sic Comes Arbergae, sic Furstenbergius heros,
sic sua finitimi mittentes agmina passim
Alsatii, festo jam laeta epinicia plausu,
et necdum meriti cantum intonuere triumphi.
Hic ego praecipitem rerum dum examino sortem,
sic Comitem aggredior. Procerum, Rudolphe, corona,
ter generose Comes, reverentia debita carae,
debita lex Patriae, quae te ductore, tuisque
creditur auspiciis supremo proxima fato,
me revocat, mandatque tua discedere ab aula.
Rus mihi Berna ferax, et nostrae congrua stirpi
atria suppeditat ; mihi patria praebet opimi
praedia culta soli : si teque, tuique sequacem
fovero militiam, veterem migrare colonum,
ipsa, aliumque meis regnare jubebit in agris.
Ergo vel officio, quo me tua gratia dignum
censuit atque Viros inter suspexit equestres,
me redde eximium ; vel siqua emerserit illinc,
fortunae totam tua suppleat arca ruinam.
Fare age, utrum malis. Miratur talia fatum,

respondetque Comes. Nidovia nostra probatos.
Nomen ubi emeritus quoque fert Erlachius, aegre
belligeratura dimittit ab arce Tribunos.
Propositas idcirco acies, ac signa statutae
tu quoque militiae quid ni, Rudolphe, sequaris ?
Sic tamen expositum si te jactura tuarum
ulla maneret opum ; contracti injuria damni
quid nisi maestificos causaret utrimque dolores ?
Ut tamen advertas, si te fraudarit opimis
naufraga cymba bonis, tot jugerum opumque charybdim,
nulla tibi nostrae reparabunt aera crumenae.
I vafer, et patriam succensis eripe flammis.
Vade bonis avibus ; parva est jactura Rodolphi
unius, intensum sine te torquebimus arcum.
Te sine nostra suam pertexet Arachnea telam,
te sine propositi non fiet omissio belli.
Unus homo nobis, in tanto flore virorum,
est quasi nullus homo. Tu vero doceberis, inquam,
quid queat Unus homo : profitebitur una Rodolphi
dextera, ab Helvetio quantum dependeat uno.
Inde vale dicto, patriamque reversus in urbem,
prae foribus stantem primoribus explico sortem,
panditur interea funesto janua bello,
conspirant Comites, producitur undique miles ;
illico Laupensem (quam indulto Caesaris emptam
solverat expositis Res publica nostra talentis)
plus tricena Virum glomerantur milia ad urbem.
Nempe evertendum primi jam in limine belli,
hostis et accensus Mavorte exercitus, istum
censuit esse locum : sublato ut carceris hujus
obice, in Ursinam saeviret, atrocius urbem.
Audiit Allobrogum facta haec praepostera Princeps ;
ac nimis exosus vicini incendia belli,
pacificum molitur opus. Patriam inter et hostem
ut male provectas valeat suspendere rixas,
ipse suum ablegat Natum. Studet ille cruentas
tollere scintillas ; sed turba elata Sabaudum
plurima molitum, neglecta pacis oliva,
respuit, et Comitem trahit in sua castra Joannem.
Usque adeone humilem vesana superbia pergis
ludibrio tractare gregem ? Jam trita per omnes
insonuit plateas, jam nota paraemia lippos,
cerdonesque unaque alios cantare Thrasones
hunc docuit Rhytmum. Plebs tandem Ursina peribit ;
corruet, atque jugum jam sponte suapte subibit,
atque ea sic nostram risit prolusio plebem.
Qua subter viridem praelabitur Arula Juram,
urbs fecunda solo Salodorum nobile, cernens
militum in exhaustos Argoia exire maniplos,
dignum Theseo candorem ostendit amico.
Vicinae Arctopoli vicina pericula belli
ocius insinuat ; supraque infraque furentes
intimat orchestras : firmandam milite Laupam
(quo tota incoepti confluxerat area belli)
officiosa monet ; spatiis cum nempe diurnis
copia nulla foret, quae certos posset amicos

reddere, concubiam penetravit epistola noctem,
magna Urbis pietas, quam vix desideret ipso
Nisus ab Euryalo, quae forti milite nostris
dum subiit castris, me judice digna videtur ;
cui decus, atque omnem det Patria nostra favorem.
Haec ubi vicinis rarum sibi sperat ab oris
affore subsidium ; Cronburgi Satrapam ad istos
ocius ablegat populos, qui nuper amico
Helvetiae Australes sociarunt foedere, pagos.
Satrapa Suitiades, Subsilvanosque, virosque
incitat Uranios, illamque in proelia gentem
allicit, egregios quae nostra aetate Camillos
nutrit, et Aemilios, quos pridem et bellica virtus,
et Morgartensis fecisset adorea claros.
Una trium pagum fuit haec responsio : "Amicum
sors inimica probat : sincerum ex ignibus aurum,
vera per adversam patefit dilectio sortem.
Nunc igitur pressae, Suitensis et Uria vallis,
et silvanus ager, non tarda juvamina mittet
Arctopoli ; leget, ecce, dabitque repente trecentos
natio quaeque Viros ; non nomina multa, sed acres
in fera bella manus. Tulit urbs ad sidera tantam
gentis amicitiam, nec foedere quippe, nec ullo
obstricti merito, sed vi solius amoris,
fortia nongentum capita emisere Virorum.
Sexcentos alios, generosae corda farinae,
cepit adhuc juvenes, nil hostica pila timentes,
per terram Hasseliam Weissenburgique Baronem,
subsidio missos. His demum quina Virorum
milia, de gremio patriae telluris et Urbis,
ut socias junxere manus ; mihi prima, Senatus
arbitrio, Praetura datur, bellique sagacem
me jubet esse Ducem conscriptum Curia Patrum.
Nullae hic ambages, nulla argumenta volentem
immutant populum ; devolvitur omnis ad unum
frustra obluctantem, belli Praetura, Rodolphum.
Hic equidem victus populi gravitate jubentis,
ingenuam promitto operam, promptosque lacertos
impiger, atque agilem concivibus offero dextram,
nequa tamen nostris, inquam, temeraria coeptis
irrepat scabies, magis est ratione gerendum
quam rabie bellum. Non agmina densa, sed aptos
poscit amatque Viros. Graviorem nuspiam habemus,
quam Belli, errorem, volitante per aera crista,
illius expresso fas est assurgere verbo,
qui praeit imperio. Commissa negotia plures
cum minus expediant, standum est a lege jubentis
imperioque Ducis. Si promissura sit istam
sponsio vestra fidem ; quamquam nos paene quadruple
excedat numero, laudati moreque Pavi
turgeat in castris ; vestra tamen indole fretus,
o Socii, fisusque animi virtute, superbum
quid trepidem e nostris propellere finibus hostem ?
Ille quidem diris Laupensem territat urbem
insidiis, murosque quatit, nostrosque fatigans
obsidio cives, jam erecto brachia vallo

injicit, et crebris fossas circumsonat armis.
Inter et haec, festis oblectans agmina ludis,
alipedes exercet equos ; et pulvere tortos
Circumagens gyros, animos in bella lacessit ;
instauratque epulas, et laeto prandia cantu
exhilarat ; gestusque alacres, cursusque, chorosque
continuans, acuitque tubas, et in acta trahentes
fortia dat stimulos ; dextraque, animoque probatos
nobiliore duces, in censum extollit Equestrem,
praemia virtuti referens, pompaque celebri
bellisequas aurata jubet calcaria calces
ornare, ac ritu accensas animante favillas,
induit instructos capulis radiantibus enses.
Inde triumphata, grandi agmine et impete, Laupa,
obruet Arctopolim ; matresque perinde, patresque,
et socias cum prole nurus, tectumque focumque,
atque adeo totos communi strage Penates
perdere, et extrema quaerit damnare ruina.
Hos animos, has ipse minas, haec fulmina praeceps
evomit. Ardentem sed enim sedare phrenesin
tempus et hora jubet. Rarus sine vindice caelo
emersit fastus ; quique ocima cantat, et hostem
ante rei summam naso suspendit adunco,
hunc saepe explosa ludit victoria palma.
Quare agite, egregium semenque genusque virorum,
pristina si vestris vis ac pollentia nervis,
si vigor est animis ; socias jam intendere vires,
promite fervorem, qui infestum crebrius hostem,
terribiles imitando Ursos, vel carpere turpem
absque decore fugam, patriisque inhonestius arvis
cedere ; vel vestri mactatum cuspide ferri,
turmatim Aeaciam migrare coegit ad urnam.
Civibus obsessis, nostroque, ut credere fas est,
praesidio, si tardet opem, lux altera ; certum
imminet exitium. Nam quid sexcenta reniti
corpora, ter denis jam tandem milibus ausint ?
Sumite quisque animum, praeeuntem quisque Rodolphum.
Intrepido comitate gradu, prompta ilicet arma,
atque agiles aptate pedes ; quaerenda repente
agmina, miscendae sunt absque ambagibus ullis
dexterae ; et insultans muris Laupensibus hostis,
seria, post festas, urgendus ad arma, choreas.
Impetum et hostiles nec vos horrescite plausus,
neu titubate animis ; quae multo splendida luxu
in mediis erecta nitent tentoria campis,
et comitum gazae, Tyrioque insignia texto,
in jactabundis Labara effulgentia castris,
luxuriansque penus ? Nobis, si vota secundet.
Marspiter, in pulchram poterunt obtingere praedam.
Ipsus ego a primae sectatus flore juventae
agmina, sanguineo persaepe rubescere rivo
immodicos sum expertus agros. Sex ipse cruentas
pugnavi pugnas, ubi major turba, minorem
ferre tropaea aciem, semperque exercitus ingens
viderat exiguas, sed jussa capescere promptas,
et parere Duci, nec dividi ab Ordine suetas,

praevaluisse sibi, laurumque tulisse, cohortes.
Nunc etiam, nunc orta dies, qua pauca superbum
caedere turba hostem ; qua grex contemptus opima
tot Comitum, tot quibit opum ditescere praeda.
Orta dies, socii (ni spes concepta sinistro
fallitur augurio) qua vos immensa beabit
gloria ; ubi vestra fretus virtute Rodolphus.
Tam cupidas in bella acies, Comitemque Rodolphum.
Jam sic praemonitum Nidoviae in arce, docebit :
Unus Homo quanta vel possit obesse ruina,
vel prodesse lucro. Jam dextera prurit, et omnem
damnat anhela moram. Cauti properemus, et hostem
non exspectatis pulsemus rure machaeris.
Sic ratio, sic hora jubet : sua quisque capessat
tela fatigatis sed palmam exoret ab astris.
Sic mihi adhortanti spondent promptissima morem
agmina ; raucisono fremit ergo industria cantu
buccina ; jucundus ferit aethera clamor : ad alas
curritur hostiles, tamquam si ad Massica Bacchi
munera, et Assyrio fumantia prandia luxu
susciperemus iter. Laudato exercitus ibat
ordine, ubi cunctas, quas legit Berna, cohortes
candida puniceo Crux insignibat amictu,
signabatque pares. Primo hic ut cuique licebat,
intuitu, turmasque equitum, cuneosque pedestrum,
ac toto sparsim diffusas rure catervas
cernere ; cum sociis prorumpens Suitia pagis,
"Si patiaris, ait, jubeasque, Rodolphe, superbas
fert animus gliscitque equitum tentare phalanges ;
vos cumulum, quacumque datur dabiturque, pedestrem
fundite. Nos choreas, dum pergraecantur, equestres
ecce repentinis, faveant modo sidera, telis
cordati aggredimur. Placuere heroica cunctis
pectora, dumque Viros pulsato exhortor Olympo,
dumque alacres conferre manus, dum tela vibrare
impero : fama meas indigna refertur ad aures,
extremam titubare aciem ; numeroque, globoque
(Hostica queis totos replerant agmina campos)
territam, in abstrusae querceta recondita silvae
repere et abjecta fugitare licentius hasta.
Ergo iterum accensis, iterumque, in proelia turbis,
state viri, exclamo : fugiant, quos fugit honestas ;
cedant degeneres, erumpat, adultera patrum
progenies ; firmo, vos, o genuina parentum
pignora, stare, gradu. Scabies ac foetida fungos
psora gravet profugos. Toti conducit ovili,
si pecus aegrotans et amaro morbida tabo,
exsulet a stabulis. Sic sunt cribranda resectis
tritica de paleis, sic forti a milite faecem,
sic habilem a taetra laticem purgamus amurca.
Sistite, et hostilem mecum una invadite molem."
Extemplo recreati animi, clanguntque, crepantque
classica, funestis in pugnam excurritur armis.
Et quamquam expositos gravis ardor adureret agros,
ursit belligeros vehementia grandior artus.
Nostra repente phalanx, acuendo strenua ferro,

terribilem, dum prima fremunt praeludia, stragem
inchoat, et medios furibunda irrumpit in hostes,
nescia terreri. Muri tamen instar aheni
principio obsistens, dum contra fulminat, hostis ;
effudere omnes pars ilicet utraque vires,
vi via fit nostris, sternuntur inertia passim
corpora, caesorum expositi calcantur acervi ;
alter in alterius titubatque peritque cruore,
erepto donec vexillifer ipse supremus
procubuit labaro ; laxae fuit ergo superstes
copia sola fugae. Verum hic dum nostra pedestrem
arma fugant aciem ; volitante per arma tumultu,
pugnare ancipitem fertur pars altera pugnam,
et celerem deposcere opem. Mox ergo juvandis,
quantumvis fessas, sociis, adjungimus alas.
Tentabar modicus, compluria milia coetus.
Totque cataphractum molemque globumque, virorum
ingenti penetrare animo ; suspensaque partem
tamdiu in alterutram dubiis Victoria pennis
haesit, anhelantes quoadusque exercitus omnis
fulciret pugiles. Unita quippe caterva,
continuo nutare hostis, demittere sensim
cornua, et adverso coepit languescere fato
quin et turbati vaga colla rotare caballi
nec rigidis parere lupis ; pulsare profundam
sessor abactus humum ; comitumque ac multa ruentum
copia Nobilium mordaci occumbere ferro.
Jamque fatigatos orsa est Tartessia Calpe
condere solis equos, ac ponto mergere Ibero ;
cum sibi diffisae, nimia terrente ruina,
hostis relliquiae, festino quaerere cursu,
pluribus ereptam, simul occoepere, salutem.
Deseritur statio, versis properanter habenis,
turma tremens equitum, stridente citatior Euro,
avolat, ac tortas superat cursando sagittas.
Solis ad occasum gens Gallo idiomate, Celtae,
Sequani et Helvetii ; sed plebs Germana, citato,
affatim ad Eoum properarunt, agmine, Solem.
Tu modo, tu tragico nobis expone cothurno
conscia Melpemone, quantas haec proelia strages
ediderint, pugnata duas non amplius horas !
Miramur merito quatuor potuisse virorum
milia, tot Comites, tot Nobilitatis avitae
stemmata, tot fortes, qui pugnavere, Barones,
tam subito a pauca, spoliari hac luce, caterva.
Vidi ego purpureum spumantia membra cruorem.
Et mutilos Rudolphi artus, quo sospire nuper
tollere felices solita est Nidovia cristas ;
vidi ego, et indignam miseratus pectore pompam,
molliter, o, inquam, meliori marmore digni
ossa cubate viri. Tumba decoravit eadem
innocuum, fortuna nimis violenta, Sabaudum,
egregium Comitem, armato qui stare laborans
arbiter in populo ; generosae fata juventae
(dum sibi damnoso nimium cum Care carizat)
inter sanguineos, non hostis, finiit hostes.

Ut reliquos taceam ; claro hic e sanguine Suevum
Blumbergae dominum, prae Scaevola et Hectore fortem.
Addere non pigeat. Vehementem hic inter acerbae
fervorem pugnae, cernens sine fine ruentes
nobilium de censu equites : "Me vivere ? clamat ;
me Libitina istam jubeat spectare ruinam ?
Tot mihi cognatum tam immanem cernere stragem ?
Tot superesse malis ? Rumpat, quid Parca moratur ?
Rumpat et ipsa meum, neglecto stamine, filum.
En morior, mediosque ruo periturus in hostes",
dixit, et effusis invectus in agmina frenis.
Auxit nobilium, transfixus pectora, coetum.
Ergo tot exuviae, tot rapta ex hoste tropaea,
cumque cataphractis ocreae, galeaeque coruscis
subnixae cristis ; coccoque nitentia et auro
septem et viginti labarorum insignia, nobis
dona reportatae tribuere uberrima praedae.
Nobiliora tamen gliscens fortuna parasset
munera, ab armicrepa ni declinasset arena
hostis, et erumpens spolium minuisset opimum.
Nam titubante acie, titubans simul ipse tremensque
Regulus Arbergae, carris praefectus, et amplae
custos annonae, confertis cedere plaustris,
confugere Arbergam, gazisque opibusque refertas,
(qua via, qua spatium, qua semita cumque patebat)
avectare, metu coepit stimulante, quadrigas.
Nos, quibus insignem divina, id temporis, auxit
dextera virtutem : qui Castra acerrima totis
fudimus e campis, qui Teque tuasque cohortes
carcere ; qui Laupae titubantia moenia diro
solvimus obsidio : pronas ad sidera palmas.
Erigimus, gratumque Deo Paeana canentes,
aethera pulsamus votis, adeoque celebrem
Manasse a magno, profitemur, Numine laurum.
Inde graves spoliis, nostros laetanter amicos
ut socios pugnae, sic fulcra insignia palmae,
Ursinam, plaudente choro, comitamur in urbem.
Gratata Arctopolis reduces e pulvere Martis
suscipit Heroes, ac tam victricibus armis
egregios, digno satagens ornare triumpho,
inclita magnifica peragit sollemnia pompa.
Ipsam adeo, quam tanta beat victoria, lucem,
et tam felici patratum sidere bellum,
mandari cedrinis, pro posteritate, tabellis,
imperat ut tantos maneatque juvetque perennis
gratia pancratios. Certe hos (ne texere longam
dicar Odysseam) Sophocleo instructa cothurno
carmina promeritos, potes hac redimire corona.
Obsessam Laupae dum belligeratur ad urbem,
adjutae a Sociis, cedit pulcherrima, Bernae
laurea ; parva acies ingentes fundit acervos :
Tollitur obsidio, rapiuntur ab hoste tropaea ;
nobilitas immensa cadit ; dum ludimur hosti,
lusores pereunt, in symbola pacis hiantem
sors ferit Allobrogem : sesqui - enecat - hora Virorum
milia plus quatuor, dum e nobis quisque strategos

aut fugat, aut dextra perimit victrice decennos.

## DE PUGNA SEMPACENSI.

H2_03

Exspectata tuis ne deesset epistola votis,
candor et instantes obtinuere preces ;
obtinuere preces, coguntque horrentia Martis,
ire per invitas, arma virumque, manus.
Nam quamquam ad veteres nova rursum laurea palmas
accidit, et praedae juncta tropaea dedit ;
pax tamen innumeris potior foret, una triumphis,
inter mundanas optima semper opes.
Sed quia perversae, quae turbant omnia, mentes
pacificam bello posthabuere togam,
hinc furor, et tragicus per rura, per arva tumultus
saeviit, atque ipsas Mars penetravit aquas ;
consiliumque malum primis fatale Synedris
funestumque ipsi vidimus esse Duci.
Dux Leopoldus erat, Germanae gentis Achilles,
inclitus Austriaci, flosque decusque throni,
Daedala cui Pallas Martemque Jovemque professa,
aureaque immensis Juno referta bonis,
Et genus, et magnae florentior indolis aetas,
fortunae summam contribuere rotam,
maximus hic Heros, super ostia Gangis et Hebri
notus, Hyperboreae terror amorque plagae,
Helveta dum incauto bacchatur in oppida bello,
ac Sempacensem turgidus intrat agrum,
vapulat ; et subita, non fido Marte, ruina
corruite e summo, funus inane, jugo.
Corruit, et Manes secum una abduxit ad imos
ex Alemanna ingens nobilitate genus.
Quae tibi dum memoro, memorari credito, sicut
comperta, aut oculis visa fuere meis.
Alsatico jam visus erat Leopoldus ab agro,
Helvetiae affines, victor, inire plagas.
Et jam Badenae castra altera, et altera Brugis
fixerat, inque aliis altera castra locis ;
ac Tigurina quidem primo simulabat ad arva,
turmatim Austriacos, ducere velle, globos :
mox tamen ad dextram Rusae deflectere ripam.
Inque cruenta, alium, quaerere bella, scopum.
Introit ergo urbem, priscis cui nomen ab annis.
Et Sura et socius contribuere Lacus,
cui populi candor, cui dives gleba, Ceresque,
et situs, et facies, floridi amoena soli,
sedulaque Astraeae reverentia virginis, inter
oppida, honorificum, dant quoque clara, gradum.
Conveniunt illic cum ingentibus agmina plaustris,
haec armaturam pars vehit, illa penum.
Grandia in hisce meros celabant dolia funes,
affectura malam, tristia, signa crucem.
Sic etenim Satrapae : "Plectent haec vincla rebelles,

frangentque infidas, vindice reste, gulas.
Occumbet laqueo, cui parcet mucro ; suumque
subdere qui renuit, tollet ad astra, caput,
vixit, et efflictim jugulo commissa piabit,
sub nostro quisquis noluit esse jugo."
Coeperat interea divo lux festa Cyrille,
Quintilis nonum reddere ab axe diem,
cum simul Austriaci Sempaco inhiare manipli,
et sibi praefixam continuare viam.
Fulserat egregio series generosa paratu,
Teutoniae magnis concomitata viris.
Unicus at reliquos longe celeberrimus omnes
qui praecellebar, dux Leopoldus erat.
Egerat ipse agmen, magnique erat agminis instar,
aequans Pellaeum stirpe animoque Ducem.
Aurea caesaries, et centum flexibus aptae,
heu, quantum ornarant colla virumque comae !
Spirabat Rutulum, majestas regia Turnum,
Tyndaridumque, illic, fabula, fama fuit ;
principis haec autem dum ex parte geruntur, ad arma
ducere consortes, clara Lucerna, suos ;
praesidium Tiguro revocare, animare colonos,
ad Sempacensem, castra movere, lacum ;
exploratores campis immittere, nullam
tutandae Patriae coepit, habere moram ;
et mox Luceriis Silvania et Uria signis,
Suitiaque armatam suppeditare manum.
In campum Helvetii duxerunt mille, trecentos,
sed quos terrerent fulmina nulla, viros.
Una eademque die Sempacum vidit amicos,
una eademque hostes, vidit adesse, suos.
Nos ubi tam pulchro digestas ordine turmas,
magnanimumque, inter cernimus arma, Ducem :
terribilem mirari aciem, quae fulguris instar,
spargebat tremulas e regione faces.
Stabant Austriaci, veluti Marpesia cautes,
fluctibus irati non violanda sali ;
hinc galeata seges, rubrae cui cornua cristae
pulchre inter croceas, emicuere, comas ;
inde cataphractum series horrenda virorum,
et phaleratorum pompa celebris equum.
Enituit tam culta acies, velut ignea rupto
solibus aestivis dum micat, aethra polo.
Quattuor exposuit bellantum milia Princeps,
Mixta fere Comitum sanguine, mixta Ducum ;
cetera vicinas legio dispersa per urbes,
tamquam acie tanta non opus esset, erat.
Quae simul ac nostrum penetrarunt agmina visum,
cernui ad aetheriam corda levamus opem.
Atque ego : "Tam rutilas ne formidate cohortes,
pars expers hodie pleraque lucis erit ;
pro patriis stat causa focis ; rex aetheris alti,
vela dabit nostrae prosperiora rati.
Pellite quisque metum. Reminiscere, o Helvete, nostros
quomodo servarint Numina summa, patres.
Quid Morgartensi pompa olim illustrius ? Aut quid

agminibus nostris visum erat esse minus ?
Parte tamen quantus stetit ex nostrate triumphus !
Teutonicos quantum pavit inane Duces !
Vivit, et oppressos e caelo respicit idem,
qui tribuit patribus tanta tropaea, Deus.
Quod dedit illa dies (veteres modo rite bipennes,
rite parate animos) id dabit ista dies.
Si cui sint scabri, morsu rubiginis, enses,
in promptu cotes, queis acuantur, erunt."
Nobilium teneri nequeunt durare lacerti,
nec Phaethonteae vim superare rotae.
Austriaci e contra, dum perspexere pusillos,
agminis Helvetici, cominus esse globos,
Sic animare Ducem : "Vah, Illustrissime, praedam,
quam dedit in nostras lux hodierna manus ?
Hosce simul Davos, et rustica stemmata Mopsos,
flagitii dudum perfidiaeque reos,
ante reclinantem quam claudat vesper Olympum,
offeret arbitrio dextera nostra tuo.
Subsidiis nec quippe novis, turmave recenti,
tam bene provisum Principis agmen, eget.
Sunt sine lege cohors, et copia major, inermes,
nec belli nobis dexteritate pares.
Victima Martis erit faex haec Suicera, brevique
corruet ante tuos, lixa vel assa, pedes.
Vidit Hasenburgi nostras paulo ante phalanges,
progenie clarus militiaque, Baro ;
vidit, et ardentem cernens in proelia pubem,
telaque, dispositas, in sua, quamque, manus ;
sola, ait, in nostris non est Tritonia castris,
proxima belligeros fert quoque silva viros,
impune, elicitus raro contemnitur hostis,
Multumque, ut perhibent, tela aliena nocent.
Lubrica sors belli est, et amat victoria curas
saepe dies, mater censa, noverca fuit.
Fulgor, et aurifluus non usque triumphat amictus,
ingentes animos saepe lacerna tegit,
infremit, et contra sic Ochsensteinius insit
Regulus ; o Domino nomina quadra suo !
Exue conceptum leporino e corde pavorem,
dignum Threicio te quoque finge Deo.
Ante tubam trepidas ? Leopoldi Principis aula
indignus fuerit, quem cynomya rapit,
paucula congeries aquilam testudine vincet ?
Eripietque ipsi tela trisulca Jovi ?
Perge age, cumque alma comitumque ducumque corona ;
adde rei summam, vir generose, manum,
sepositis jam jamque lubet pugnare caballis,
constet ut, a nobis futilem abesse metum.
Imus, et una acrem pedites intramus arenam ;
servet anhelantes grex famularis equos."
Firmat dicta fides. It bello tessera signum,
clangor magnicrepae, suscitat arma, tubae,
explicat horrendam funesta tragoedia scenam,
spectator scenae est servus, et actor herus.
Stant mediastini ; ferali in pulvere sudant

tot procerum ingenui, Nobiliumque, globi.
Et quia decreto dudum jurata minaci
Helveticae strages rusticitatis, erat ;
praecipiunt nostras, quasi saepe, includere turmas,
copia furtivae ne foret ulla fugae ;
non fuit ulla fugae Suiceris copia, funus
queis solet exosa gratius esse fuga.
Jam mihi, jam totam scribenti infundite Cirrham,
Hippocrenei numina docta chori.
Pandite fervorem, quo vidit terra Suevos,
vidit et Helveticos incaluisse sinus.
Non secus ac frendens Gaetulae invasor arenae
exsultat, viso cominus hoste, Leo ;
ardua nec metuit vibrantem cornua Taurum,
nec calcitrantes in statione pedes ;
sed pecorum sese regemque ducemque recordans,
sternere solo omnem, cogitat, ungue feram.
Sic Leo Teutonicus, Taurisca e gente creatum,
impare procinctu dum videt esse, gregem :
praesumente nimis spe devorat agmen, et audax,
lauro immaturas vult redimire comas.
Sed qui Thersites putat esse, merosque Daretes,
Entelli egregiam sentit adesse tribum,
namque lacessito crevit violentia Tauro,
cornuaque hirsutis intulit unca jubis.
Alea prima quidem, victorem velle Leonem,
dum calor invaluit, reddere, visa fuit :
major enim cumulus, longeque potentior hostis,
ac generosorum machina tanta ducum,
quid nisi in Austriacis clament, Victoria, castris ?
Quis palmam hic, hominum, non putet esse ratam ?
Mactarunt nobis in primae turbine pugnae,
sexaginta alacres, hostica tela, viros.
Anceps principium, certaeque immersa ruinae
Helveta congeries, si tepuisset, erat.
Sed validos jam quisque animos revocare, novaque,
tentare insolitum, dexteritate, modum,
pars cornu dextro, pars irritare sinistro,
pars Leopoldum alia sollicitare via.
Hic tamen eminuit longe fortissimus unus,
in charta hac memorem dignus habere, locum ;
dignus et a turba ferre omnem Heliconide laudem,
si virtus ullo sit quoque digna metro.
Subsilvanus is est, cui Winckelriedia nomen,
jam domus, a priscis inclita fecit avis.
Curtius hic alter trabeati more Quirini
dum calet, et patrii pugnat amore soli :
"Macti animis, Socii, res est in cardine ; totum
quid juvat adverso perdere Marte diem ?
Ferrea telorum, queis pungimur undique, moles,
Alcidae nervis, tergore Atlantis eget.
Cum desit numerus, non defit vivida virtus :
per ferrum, ac pyrios, haec jubet ire, rogos.
Ipse ego pro patriis ultronea victima flammis,
ferre exquisitam non dubitabo necem.
Excipiam solus totius vulnera belli,

inque mea stabit perditione salus.
Stabo velut rupes, et cunctis pervius hastis,
quaelibet in nostrum, tela, ciebo, sinum.
Sic acie disjecta aditus, sic ordine fracto,
nostra etiam plenus, fiet in arma locus.
Vos praepilatis ubi tandem in agone sarissis
obrutus. Humanam clausero morte viam ;
vos facti memores, domui sine praeside, et orbis,
gratificaturam, porgite rebus, opem."
Sic ait, ac pronis confertim amplectitur ulnis
telorum innumeram, pondera grata, struem ;
et genus omne hastas, et brachio utroque sarissas
colligit, atque audax vulnera mille capit ;
vulnera mille capit, sed in hostis membra vibrandis
vulneribus, pandam, dat quoque mille, viam.
Cernere erat ferream generoso in milite silvam :
transfixere unum tela trecenta sinum.
Ipse ingens animi, penetrantis acumina ferri,
excipit, inque suo sanguine, victor obit.
Jam mihi Cecropios nec tellus Attica Codros,
Dardana nec Decios objice, Roma, tuos,
si factum trutines, en Winckelriedius unus
antestat Decium robore, amore Codrum.
Porta patet saevae, sublato hoc objice, pugnae ;
armatura suas fert quoque curta vices.
Certatim irruimus, violentaque tela vibramus,
pertaesi tantam sustinuisse moram.
Findimus irato cerebra ilicet obvia ferro :
nulla usquam petimus, nuspiam asyla damus.
Verbera quot resonant, tot terram funera pulsant,
dum rhomphaea furit, corpus inane ruit.
Cetera ferales inter tamen, arma, bipennes,
hostibus extremi causa fuere mali.
Munierit firmos fulgens cataphracta lacertos,
texerit ambrosium cassis ahena caput ;
ferrea belligeris fuerit lorica Suevis :
fortior his cunctis nostra bipennis erat.
Illa cataphractis munitos transiit armos ;
haec galeis tectas pexuit una comas.
Visceraque inflicto penetravit et ilia ferro,
tamquam a Sicaniis esset acuta fabris.
Thessala pugnaces ubi quondam Phlegra Cyclopes
vidit, in aetherium mittere tela polum ;
asperiore ferunt Briareum turbine, et aestu,
fervere in excelsos non potuisse Deos.
Praevalet ergo truci, pubes Taurisca, Leoni,
evellunt tumidas cornua dura jubas.
Ipse quidem multos generosae verbere caudae
icit, et infernam jussit adire ratem ;
pugnavere alacres, steterant heroica primo
pectora et una omnem dedidicere metum.
Atqui onus armorum, Phoebique intensior aestus,
scaena fere totum continuata diem,
Et nimis ardentes nostra de parte secures,
invitisque adeo pugna peracta Diis :
exstinxere omnes, in Principis agmine, nervos,

oppressitque ipsum summa ruina Ducem ;
summa ruina aciem delevit funditus omnem,
Jamque erat in sola, spesque salusque, fuga.
Patriciorum ergo reliquus mansuescere coetus ;
poscere voce suos, aufugiturus, equos.
Verum ubi confusam, famularis turba, chimaeram,
jamque fugae accinctos, improba, cernit heros ;
saepius a sessis licet inclamata Magistris,
saepe inclamatam, ferre negabat, opem.
Nam nisi commissos conscendere lixa caballos,
et curam vitae coepit habere suae ;
atque simul laxis calones quique lupatis,
anticipare omnem, qua fuit ansa, viam.
Erumpunt pavidi, capiuntque repente ministri,
cursu velocem quadrupedante fugam :
sic ubi Nobilitas profugos e pulvere Vernas,
et simul abductos territa cernit equos,
vitae opportunum generosae quaerit asylum :
anchora sed quassam non juvat ulla ratem.
Lurida Taenarios sparsit Libitina capillos,
et Cynosura bonae non fuit ulla spei.
Terra rogabatur : vitam illa fugamque negabat,
nec nisi purpurei plena cruoris erat.
Unda petebatur : quaesitam at vero salutem,
insidias sterni dum videt unda, negat.
Cliviae in his Princeps, funestum ut reddere naulum
nauclero volvit, piscibus esca fuit.
Fugerat infelix deserto transfuga bello
dux, ad contigui caerula stagna laci ;
Multaque spondenti, "Scande, inquit nauta, celocem,
si dederis pretium, mox tibi findo lacum."
Ingreditur quernam, trepidans formidine, cymbam
regulus, ac profugum verna secutus herum :
jamque vado propior, navarchum occidere mandat,
in patrios remeet ne, sine caede lares.
Portitor anticipat, versoque repente phaselo :
"Nunc bibite, ac vestram sistite uterque sitim",
illicoque extractis perae de carcere gazis,
"Nauli, ait, haec omnem dat mihi pera vicem."
Horreo jam chartae reliquam committere stragem,
acrius humanis saeviit illa modis.
Per sata, per silvas, per confraga tesqua, per ipsum
seminecata acies, quaerit asyla, lacum.
Sed lacus, et tellus, et inhospita silva, macellum
asperaque, hospitibus sunt laniena, suis.
Tandem ego ; plena viri, plena est victoria : anhelas
parcite jam ferro contemerare manus.
Maximus Helvetiae tutorque paterque, clientes
et palma et spoliis obruit usque novis.
Olli aeternarum pangenda encomia laudum.
Astruat auctorem non nisi, palma, Deum.
Ipsius auspiciis incoepta tragoedia, iisdem
ducta ad felicem cernitur esse scopum.
Justa modo sociis, ac justa ex hoste peremptis,
nostrorum ritu, sunt celebranda, patrum.
Hic e Teutonicis, series heu quanta, dynastis,

clausit in abjecto, tristia fata, solo !
Tecta cruoriflua fuit omnis semita turma,
hinc mutili proceres, hic jacuere Duces.
Helvetiis mixtos volvebat arena Suevos,
alter, in alterius sanguine, sanguis, erat.
E sociis nostris animam posuere ducenti,
vulnera monstrantes non nisi prona, viri.
Bina ex Austriacis perierunt milia, vitam
laetius in patrio claudere digna solo,
Magnatum e numero sex, sexcentique supremum,
ac septem decades, oppetiere diem.
Quae gentiliciis insignia tecta coronis
scuto praetulerat, copia grandis erat :
quinquaginta ipsos, numeravimus, atque trecentos.
Illustri passim gente domoque satos.
Hos tibi distincte sermo memorare Latinus,
et concinnandi non sinit ordo metri.
Primores fuerant, Hochbergae Marchio, stirpis
Fuerstenbergiacae, Zolleriaeque Comes,
de Thierstein gemini, Comes Ochsensteinius unus,
Waldburgi Dapifer, Brandisiique Baro,
Satrapa Hasenburgi, Comes Arbergensis, et omnis
Germano - Helveticae nobilitatis apex.
Hic mihi notitia non rari ac sanguine, juncti
magna quidem ancipitis causa doloris erant :
tu vero media marcensque jacensque ruina,
tu generosorum gloria summa Ducum ;
Austria quem dominum, quem Caesaris aula nepotem,
quem dixere oculum, regna Alemanna, suum ;
exanimes conspecte inter, Leopolde, catervas,
in proprio tamquam victima caesa solo,
ingenua extremo turbasti pectora luctu,
vertice Cycneas digne videre comas.
Proh scelus ! in tantas quae tandem audacia Scyllas
ausa est tam celebrem praecipitare Ducem !
Ipse quidem dignos dum spargit Apolline crines,
proximaque aethereis, ora humerosque, diis ;
cui simul aeterni dignata est, cura Promethei,
condere ab emerito corque animumque luto.
Dignus erat, cui vota simul communia, fato
optarent Pylios prosperiore dies.
Sic ergo unanimes : "Dormi, Leopolde, sit inter
laetior Elysios, jam tibi vita, choros.
Quam tibi noluerat pacem concedere tellus."
Praebeat in caeli nunc regione, Deus.
Quid praedae obtigerit, clades haec quemque docebit :
sufficiens unus, praeda, fuisset homo.
Arma, cataphractae, procerum cimelia, gazae,
ac tanta dignus nobilitate penus,
quindecim ab eximiis synthemata pendula contis.
Vexilla e variis, nobiliora locis,
ingentique lucro cesserunt Principis omnes,
quas quadrigarum copia vexit, opes.
Koenigsfelda gravi primaria funera pompa
excipit, et cippo quemque decente tegit.
Usque adeo in nostris divina potentia rebus

ludit, et alternas miscet in orbe vices !
Optimus hic Princeps, cui fors et gratia clavum.
Teutonicas inter, contribuere plagas,
dum veluti Phaethon, qui ex aequore surgit Eoo.
Terrarum dominos eminet ante Duces ;
erudit hic orbem, quanta intervalla, reapse
distet ab Occidua, Lucifer ortus, aqua.

## DE LEGITIMA POSSESSIONE QUARUNDAM HELVETIAE REGIONUM.

H2_04

Tolle animi scrupum. Tot scurras inter, et acres
quos patimur Bavios, qui scommata montibus aequa
evomitant, patriaeque suum populantur honorem,
obstruat effrenes quis digno polline buccas ?
Dicitur elapsis tempestas Helveta saeclis
Barbarica saevisse manu, spretisque decorae
legibus Astraeae simul irritasse furentes
Eurique Zephyrique domos ; nimiumque cruento
accendisse una terrasque hominesque tumultu.
Dicimur haud paucas, quas Austria vendicat, urbes,
efferi et indignis quondam invasisse lacertis,
jam quoque posthabita mixtim usurpare Themista.
Arguimur trusisse suis atrociter aulis,
tot comitum, tot clara Equitum, tot prisca Baronum,
tot generosorum, quos nutriit Helveta tellus,
stemmata Nobilium ; quin et petulantibus ausis
(turba quod Aetnaeum consuescit ahenea fratrum)
evertisse omnes, in amoenis collibus, arces.
Parcius ista viri ! Tanta inter plaustra Theonum,
prima ubi juratus sedet ad subsellia Momus,
Pythagorea vagis sunt danda repagula linguis,
verba, logi, gerrae. Mutato nomine, vera
quibit in auctores torqueri haec fabula, fama.
Nuper ad Austriacos Argoviae et oppida, et arva
spectavere Duces ; sed quae mutare suescit
praecipitem fortuna rotam, mutavit et ipsos
terrarum dominos. Et nunc Argovia dives
suscipit Helveticas, ex aequo et jure, secures.
Contiguas, quod nemo negat, coepere priores
Helvetii, terras ; sed quod fecere supremo
Europae imperio, factum quis dicat iniquum ?
Livori proprium est virtutem arrodere, et istam
nec potes arrepta naturam expellere furca.
Mille, quadrigentis, ter quinos addidit annos,
fastorum numerus, quo tempore vidit in almo
fulgere Concilio lectos, Constantia, Patres.
Austriacas tunc forte tulit Fridericus habenas,
ille Sigismundi personam Caesaris, ille
concilii famas ausus contemnere leges,
improba sacrilega molitus proelia turba.
Ille Habsburgiaco generatus sanguine princeps,
tot regionum haeres, florenti Argoviae et amplis
Jura dabat terris : sed eumdem Caesar, et omnes

concilii proceres, ubi verae Ecclesiae apertum
cognovere hostem ; diplomate serio ad urbes
Helveticas misso, compescere Marte rebellem,
idque loci positas, jussere, invadere terras.
Sic volumus, sic jussa damus ; sic Curia sacri
publica Concilii ; sic concordantia magni
vota Sigismundi statuuntque, monentque, jubentque.
Nec vero pactae vobis indutiae inanem
injiciant remoram. Jam jure utroque peritis
pes decisa Viris, jubet illam e pectore curam
tollere, et indignos ulcisci Principis ausus.
Ipsa haec, magnorum praesens legatio Regum,
concilii decreta probat. Sic ipse Bohemus,
sic e Sarmatica veniens tellure Polonus
annuit orator ; placet haec sententia Cimbro ;
legati haec mens est, alio sub sole jacentem
qui colit Albionem ; gelidi sic accola ponti
censet Norvegus ; sic suffragante lapillo,
sentit Hyperboreo transmissus ab axe Suecus,
Haec crisis, hoc fulmen, tonat hoc anathema per omnem,
tot populis quem farta gerit Constantia, coetum.
Quare agite Imperii fortissima membra, verendi
ne vos Concilii feriat censura, supremis
parete imperiis ; ad tela, ad classica vestros
nunc reparate animos, stridentia pandite belli
limina et Helvetico Fridericum incessite ferro.
Non exspectatis vel sic resipiscet ab armis.
Verum nemo suo cum militet aere, licebit
servare obtentas, hypothecae nomine, terras.
Pignus erit, quod quisque suis comprenderit armis,
ut bello exhaustas haec suppleat arrha crumenas.
Caesareo sic charta quidem firmata sigillo
hortata est Patriam. Quid Natio nostra ? Quid Urbes
foederis Helvetici ? Non ausae obsistere tantis
Concilii membris, tandem gessere petitum
augusto morem : quasque hic Mavorte Secundo
obtinuere plagas, justis hodieque tuentur
atque regunt titulis. Arburgum, Arovia, Brugae,
Lenzburgum armisono vix expugnabile nimbo,
semperque irriguis Zofinga uberrima pratis,
fertile Surlacum, spectatrix ardua Rusae
Bremgarta, et laetis Provincia libera glebis,
cumque fere invicta, Mellinga acerrima, Baeda
(lata quibus ditio, multis habitata colonis)
subjecere suas Cantonibus octo secures
ausa quidem fuerant haec castra, haec oppida nostras
oppugnare acies, grandique resistere nisu ;
pro Duce supremas cum mallent ferre procellas,
quam violare fidem ; sed dum videre petitas
abfore suppetias. Pronis quantocius ulnis
excepere novos, sic fato urgente, Toparchas.
Consimilem fecunda fere Turgovia sortem
nobilis Helvetici provincia pertulit agri.
In quinto decimo jam Sexagesimus annus
currebat saeclo, cum rursus ad arma vocati,
ad bellum allecti, veteres tractare sarissas

coepere Helvetii. Romanae jura Cathedrae
rexerat antistes Pius, hac aetate, secundus,
Aeneas toti celebratus Silvius orbi.
Ille Sigismundum dum castigare laborat
Austrium, ad Helveticas edictum destinat urbes
atque iterum offensae tutari jura Sionis
imperat ; et fortes verbis hortatur amicis,
instigatque viros, ut non tardante Minerva,
oppida ad affinem satagant obsidere Duram.
Paret, et hortantem dum non vult spernere Papam,
Turgoiae celebrem, legio capit Helveta, tractum.
Sic Fravenfeldam sic Diessenhovium ; et urbes
sensim alias, rursumque alias sors prospera nostro
addidit imperio : sic suffragantibus astris,
corporis Helvetici compago aequissima crevit.
Ite modo Bavii, dentataque turba, Biones,
lividi in hanc nostram, ceu mordax vipera terram ;
ite, ac Barbaricae, Suicerae gentis, Erinny,
Davorumque acri Meliboeorumque furori,
aut Erebi Diris, aut nescio qualibus oestris,
hoc titulo partas, posthac adscribite, terras.
Majores nostros ad facta heroica natos,
in tam difficiles, elapso tempore, pugnas
nec furor, aut caeco praeceps audacia vultu,
nec lymphata Thyas, nec Baccho agitata Mimallon
impulit ; anguineos nec quae redimita capillos
monstra, tenebroso saliunt Plutonis ab antro.
Sed rerum gravitas, sed candor et aequa potestas,
et vix extorti laudata modestia ferri.
At quibus in tenebris, aut quonam mersa profundo
Nobilitas antiqua jacet ? Quis Turbo tot arces,
tot castra evertit ? Quaeve implacata Charybdis,
atria fumosas passim ostentantia ceras,
ausa inter patrios fuit absorbere penates ?
Deucalioneae numquid rediere procellae ?
Tecta tot ac turres num saevi immitior Euri
impetus ? Aeoliis num furtim excitus ab antris
Corus, et ipse tumens flabris subvertit Orion ?
Inter tam varias fortunae mobilis ansas,
tot metamorphoses, tot fulmina, bella, tumultus,
(lex ubi febricitat, canonesque premente Vacuna,
jura fere solis suprema petuntur ab armis)
non ibo inficias, durante hoc turbine, crebram
quin quoque nostra solo virtus aequaverit arcem.
Litigiosa istum metimus post semina fructum.
Nobilitas plane, quae nostram excidere gentem,
Sempaci ac Laupae violento quaesiit ausu,
si glomeratim obiit, sibi balnea sponte paravit.
Id belli luctum est. Te nunc tria verba docebunt,
plexerit Helveticas quaenam Rhamnusia stirpes.
Induperatorem postquam Ducis ira Joannis,
perculit Albertum, meritas exarsit in iras.
Uxor, et enectum soboles conquesta parentem.
Flagitii consors erat Eschenbachius ipse
Regulus, ac palmae celebres, Warthaeque, Barones,
perperam in immanem persuasi a Principe culpam.

Horum illustre genus, perque arva, per oppida multis ;
jura dabant populis ; sed tam crudelis iniquam
criminis ob noxam, varias mors unica mortes.
Intulit, et magnis fuit ultima linea rebus.
Quinquaginta olim Comites haec prodiga tellus ;
nutriit, ac centum sexagintaque Barones.
Nobilium, quosque ordo simul decoravit Equestris,
stemmata si numeres, plus mille ducenta revolves.
Tanta haec Nobilitas, tam illustria stemmata, quantam !
Caesaris, heu quantam, subiere a caede, ruinam !
Infandum Regina jubes renovare dolorem,
vindictae nimios dum laxas undique frenos.
Horret charta stylum, calamoque invita ministrat
sepia. Per totam desaeviit Austria terram ;
bacchata est Nemesis : periit promiscua ferro
nobilitas, solvitque insons cum sonte patrati
crimina flagitii ; prosapia quarta nequibat
a tam funesto consistere tuta macello.
Qualis in Hercynios cum flamma erratica saltus
vel Boreae furiis, vel moto immittitur Austro,
parvula principio solum stridentibus infert
proelia juniperis, humilesque aggressa genistas
ventilat, atque imi lambit virgulta fruteti ;
viribus inde auctis, sensim se attollit, et altas
infestat piceas, ornosque lacessit et ulmos,
vertat in ardentem donec nemus omne favillam.
Saeviit haud aliter vindictae flamma, necisque
suspectos Proceres, et iisdem sanguine junctos
Caesariana phalanx funestas traxit ad aras ;
implicuitque rotis, et stricto guttura ferro
messuit : exhausta donec tellure, supremum
alter in alterius captaret sanguine somnum.
Arcem Farvangae (clarorum erat ista Baronum
regia) dum tragicum cupiunt vitare furorem,
haud pauci numero, fortuna et origine clari
introiere Viri. Saeptus fuit aggere murus,
firma loci facies, ut territa turba salutem
in tam munito non desperaret asylo.
Sed nec in arce salus : haec quippe ut diruta telis
concidit Austriacis, clarissima stirpis avitae
nomina, lugubres dant coram Principe poenas.
Sexaginta ipsos ab equestri sanguine claros
una eademque die feralis mucro trucidat,
purpureum Regina ipsa calcante cruorem.
Altburae castrum simul haec intravit Enyo,
hac quoque letiferas vibravit in arce secures.
Quadraginta illic senique fuere reperti,
nobilium de gente Viri, quos rumor et ortae
terror Adrasteae, munita intrare coegit
Pergama, et exstructis firmata palatia vallis.
Verum ibi devictis, Leopoldi Principis ipsos
vindicis ante oculos, animam conducta licetur
Atropos ; ac generis neglecto flore, feroci
quam libet illustres proscindit acinace fauces.
Funditus eversas, cumque omni flore necatas
nec memorare domos, nec mens est scribere stirpes.

Illa tot arcigeris exculta Argovia clivis,
nobilium verus, non casso nomine quondam
appellata sinus ; tam claris inclita ceris
atria, in abjectas, flagrante hoc impete, vidit
degenerasse casas, vidit penetralia magnis
culta prius Satrapis, fecisse cubilia brutis
hospitiumque feris. Vidit plus mille ducentas
expirasse animas ; vel leti horrore paternis
migrasse hospitiis, caecasque hinc inde latebras.
Et mage securos alibi quaesisse penates,
milite Teutonico perierunt integra passim
oppida, cumque suis heu quantae stirpibus arces !
Passa fuit tantam non sola Argovia stragem,
Turgoiae fines eadem Libitina, parique
effera supplicio Tigurinum excurrit in agrum.
Pars igitur Rheni, pars ostia tendit ad Istri,
pars nemorum salebras, pars denique nescio qualem
migrat in Utopiam ; cupit unum anima omnis asylum.
Id quoniam Helveticis nusquam prostabat in oris,
pleraque Nobilium, tam ingrato territa lesso,
territa funeribus, truculenti Vejovis irae :
cedere, et una alias coepit captare tabernas.
Discet posteritas, nimis esse potentia magnis
brachia Principibus ; discet quam enorme piaclum,
quam gravis ac quantae sit culpa obnoxia poenae,
in diadematos mucronem stringere reges,
tu bona nobilitas, ni mens tibi laeva fuisset,
jam quoque floreres, patriaeque arx plurima stares,
addere plura piget. Tibi nunc responsa licebit
Helvetiam exosis formare Theonibus, et sic
Hipponacteas aliorsum inflectere sannas.
Saevierit, bilique omnes laxarit habenas
Austria ; si fines hodieque revisat ad istos,
dicere sic poterit. Quidni fecunda fuere,
quae tam multiplicem pepererunt, vulnera messem !
Bellum Lernaeae nimirum indiximus hydrae.
Nobilitatem omnem dum ferro nuper et igni
perdere, in Helveticis passim decrevimus arvis,
nobilitate auctas jam fulgere cernimus urbes.

## DE GENEROSA, CONTRA GALLIAE DELPHINUM, DIMICATIONE.

H2_05

Viximus ? Et fractis tam insani viribus hostis,
   pensatur tragico, mens generosa probro ?
Perque cruentatas milleno vulnere frontes,
   obtinuere unam, nostra tropaea, crucem ?
Hercule, quae nostras inopina refertur ad aures,
   si meruit solidam, nuntia fama, fidem ;
viximus, ac tractae per mille pericula vitae,
   tela per ac sparsos imbre cruoris agros,
per Delphini acies iterumque iterumque repulsas,
   promeruere unam, proelia nostra, necem.
Nam simul ac reduces, medii de pulvere leti.

Ingredimur patrios, vix duo tresve, lares,
laurigeram se quisque ratus meruisse coronam,
audit quisque malam se meruisse crucem.
Livida fama nimis, plebeio exorta susurro,
futilibus miscens frivola multa logis.
Continuo totam falsis rumoribus urbem.
Et strepero, primas occupat, ore, fores ;
pluraque de nostri blaterans prurigine belli.
Evomit in medio talia verba foro.
Usque adeo fas est profugos impune Thrasones,
inter honorificos, nomina ferre, Viros ?
Quis neget e Socia faecem hanc fugisse palaestra,
et bene pugnantem deseruisse gregem ;
quidni igitur digna plectatur transfuga poena ?
Expiet infamem fune, vel ense, fugam.
Nonne fuit satius generoso occumbere leto,
quam trahere imbelles e statione pedes ?
Occidat in patria, timidum quicumque cruorem
noluit afflicta fundere pro Patria.
Ista quidem vulgi fuerant commenta, mihique
praefica jam summum dixit adesse diem.
Quis furor, o cives ? Quem provida fata tuentur
incolumem, mortis ne reputate reum.
Sectati Helveticas, heroum more, phalanges,
nuda per, audaces, trusimus, arma, manus,
agmina Delphini, vastas aequantia silvas,
Dardana in umbrosis quas tenet Ida jugis,
Non semel a primo rubicundi Hyperionis ortu,
Hesperias donec fessus iniret aquas.
Impavidi tulimus, quamquam intrassemus arenam
non nisi Sexcenti, non nisi Mille Viri.
Magnanimi stetimus. Sed cum sine fine, resectum
saucia Gallorum tolleret, Hydra, caput ;
maluit in medio virtus heroica campo
una efflare animam, quam tolerare fugam.
Perstiti et ipse ferox, crebrosque haec dextera Francos,
non exspectatam fecit inire scrobem.
Transfuga qui fuerim, suscepta a fronte loquantur
vulnera, queis nullum terga dedere locum.
Optavi, o quoties ! sociorum ut more liceret,
ultima pro patriis fata subire focis.
Herculeae ne nempe forent oblivia pugnae,
non omnes pugiles abstulit una dies.
Horum ego de censu, scribendam sanguine cladem,
vix bene curata, per- tibi -texo manu ;
Farnsbergam Helvetii, Tigurumque illustre, premebant
vallata geminos obsidione locos.
Jamque fere medium cursu transgressus Olympum,
aestivo Icarius fulserat igne Canis,
cum subitus per castra volans, perque agmina rumor,
nuntiat hostiles astra ferire tubas,
atque peregrino nigrescere milite cunctos,
quoscumque alluerent Rhenus et Illus, agros ;
nec prius indicto, terram omnem incessere, bello
agmina ab occiduis vix numeranda plagis.
Nec mera rumorem comitaverat umbra : videbat

innumero plenu, Rauracus, hoste solum.
Viderat externas, per compita quaeque phalanges,
perque omnes, passim castra locare, vias.
Audiit horrifico reboantes murmure pelles,
et strepere insuetis tympana rauca sonis.
Ferrea Bacchicolas invasit grando Tribocos,
Alsatiamque fero pressit utramque metu.
Aurea ab erectis fulgebant Lilia contis,
Lilia magnorum praevia signa Ducum.
Praetulerant compti pictos Delphinas ephebi ;
flectebatque alacres Scotus et Anglus equos.
Gentis Aquitanae fulsere asarota, suosque
Santonus et Biturix instituere choros.
Cum conjuratis, reputata est tota, Britannis
Gallia, de patrio prosiluisse solo.
Armeniacenses vulgo audivere ; videntur
cognata Armeniis, monstra fuisse, feris,
Gallicus obtinuit Delphinus in agmine primas,
magnum e regali stirpe domoque genus.
Quina fuit Legio, plusquam tricena Virorum ;
milia, Delphinum sunt comitata Ducem ;
fama dabat tanto multas super Hospite causas,
nec tamen aequalis fama tenoris erat.
An Basileae urbem furor hic armatus, et illic
quaesiit incoeptum perdere Concilium ?
An quae Francigenae fuerant annexa coronae,
sub regni veterem cogere jura fidem ?
An suasu procerum, Suiceram invisere gentem ?
Liberaque excusso reddere colla jugo ?
Helvetiae partos iterumque iterumque triumphos,
plurimaque invicta lata tropaea manu.
Constat apud magnos, quos fert vicinia, reges
invidiae multam suppeditasse facem.
Instar fecundi ne cresceret ergo Sinapi,
multorum in votis, ut premeretur, erat.
Subscripsit tragico tempestas ferrea voto,
Helvetiae saevas ingeminando minas.
Ipsa tamen victrix, ceu palma virentis Idumes,
quo magis hinc pressa est, creverat inde magis.
Nos, ubi progressum tantis legionibus hostem,
comperimus, nostris sparsim inhiare plagis ;
mittimus in prima, sexcentos mille, caterva,
e gemina sumptos obsidione, viros.
Altera Farnsbergam, Tigurum pars altera clausit,
concessa his solis Martis arena fuit.
Qua sua prata virens extendit Pratela, primas
conserimus Galla cum legione manus.
Dampmarti Comitem, cuneo petulante vagantem,
caedimus, et versis inde fugamus equis,
dum sequimur profugos, procedunt obvia nobis
Armeniacorum, milia dena, virum,
effera vere acies, equitum inde asperrima nimbis,
hinc peditum instructis perniciosa globis,
nunc alacres exercet equos, nunc impete facto
exonerat fartos glande strepente tubos.
Nunc lituos instaurat ovans, nunc classica plaudens

personat, ac duros excitat aere viros.
Turba quid in tantum faceret tam paucula coetum,
quam poterat solus pellere rure metus ?
Ibat, ut in visos Mavortius Hector Atridas,
mugiit ut rauco bellica concha sono.
Terrificare ratae, majorem in proelia nervum
Helveticis animis progenuere, tubae.
Aggredimur ; certique igneo praeludere plumbo ;
quisque ferire virum, quisque studemus equum.
Nec fatuos lusisse ignes, nec bruta fuisse
fulmina, lapsorum copia testis erat.
Feriae erant nullae, sed nostris obruta telis
perdiderant magnam, milia dena, manum,
perdiderantque animum, Davos namque inter et Iros.
Plectimus illustrem, dum quoque, saepe Ducem ;
dumque cruenta nimis fervescit pugna, reducunt
sanguinea mancos e statione choros,
sesquimille viri, (nisi sesquimille leones
pelle sub Helvetica belligerasse putes)
sesquimille viri, bis millia quinque fatigant,
enervant, perimunt, qua data tesqua, fugant ;
balistas capiunt, praeda potiuntur opima,
deportant pulchro multa tropaea lucro ;
per Muttecii agros, ad Birsae litora trudunt,
Delphinumque novo more, natare docent.
Interea nostram sitiens Basilea salutem,
terrarum omnigenis Urbs celebrata viris,
anxia belligeros iterato hortatur amicos,
incoeptum ut cauti progrediantur iter.
Delphini innumeras, sperat gens prodiga, turmas,
bis septingentis caedere posse viris ?
Volvere Sisyphium, quidni temeraria saxum,
aut Ixioniam vult agitare rotam ?
Ante Corinthiaci molem perfoderit isthmi,
victricem a tanto quam ferat hoste manum.
Contenti egregio, Basileam intrate, tropaeo,
dum licet in patrios, aut remeate, lares.
Hostium inexhaustam vix aequant Gargara messem ;
hostem qui ignorant, in sua damna meant.
Sic Basilea monet. Sed plebs generosa nec ullam
Admittens animo bellipotente metam,
aegrius haec suffert, primoque haec dicta ferentem,
vivere non patitur concita turba, virum.
Alteri, ab incoeptis itidem absterrere volenti,
persuasum ut nobis se sociaret, erat.
Perstitit, atque una truculentum effusus in hostem,
patritio, affinem, sanguine, tinxit humum.
Ille corona tuos inter, Basilea, tribules,
ille inter fortes, gemma decusque, duces,
Nostro etiam meruit celebrari carmine, dignus,
qui vel Maeoniis pervolet astra metris ;
Ille lacunoso sortitus ab alite nomen,
promeret esse tuas, Jupiter, inter Aves.
Perdidit ergo operam prudens basilea ; vereri
innumerum hunc numerum turba pusilla nequit.
Turba pusilla quidem, egregiis sed maxima coeptis,

ac nisi lapsuros nil veritura polos,
Pergit et audaci coepta urget proelia passu,
cunctari et tacito nescia stare loco.
Ventum erat ad Birsam. Pontem occupat hostis ; inimus
turmatim adversas, transque vadamus aquas ;
progredimurque alacres : nil territat hostica fusis
vel bombarda sonis, vel catapulta pilis.
Cernitur, a divo domus appellata Jacobo,
heu quantis furiis nobilitata domus ?
Hic locus, haec nostro finem dedit area bello,
inde trahet nomen pugna cruenta suum ;
pugna aequanda tuis, heros Tirynthie, pugnis,
saeva in Maenalias dum capis arma feras.
Ille quidem fama, memorique poemate dignus,
vivet in aeterna posteritate, locus.
At mihi, si fusum cupiam memorare cruorem,
pocula Pegaseae jure petantur aquae.
Horreo scripturus : vix pugna merebitur aequam,
si quoque Gryneus narret Apollo, fidem.
Scribo tamen. Spatiis dum stare ingentibus hostem,
stratumque armato cernimus imbre solum,
sic tandem unanimes. O Helveti ad ardua nati,
pro patria lubeat stare, ferire, mori.
Vincimur ? Immensus non stabit ab hoste triumphus ;
vincimus ? Immensum stabit ab hoste probrum.
Area, quae a Divi protenditur aede Jacobi,
si visum Superis, area Martis erit.
Illa decus laurumque feret ; vel pollice verso,
si visum Superis, area mortis erit.
Jamque octava dies Septembribus ante Calendas
orta erat, Eois Solque rubebat equis
cum gravis, ac niveo dux regius ipse caballo
prominet, ac subito Martem iterare jubet.
Bellicrepae mox ergo tubae, repetitaque fervent
classica, et infesto personat aethra sono :
praeludensque truci balista canora boatu,
Marti sacrandum clamat adesse diem.
Jamque faces ac tela volant ; lambitque, voratque
saeva Jacobinam, Mulcibris ira domum,
ipsa quidem vasto fuerat circumdata muro
area, et accessum fecit ubique gravem.
Hanc ergo omnigenis Delphini exercitus armis,
hanc quatere accensis sulphure et igne pilis ;
hanc alio atque alio pugnantum incessere nimbo,
barbaricaque omnem sternere peste viam.
A quatuor ventis stetimus circumdati, et ullam
certanti Helvetio nemo ferebat opem.
Ferre studebat opem Basilea, sed ipsa tueri
a tam atroce suos debuit hoste lares,
implorato igitur celoque, Deoque jubemur
mittere quisque suas in sua tela manus.
Mittimus. Extemplo patet acri janua bello,
evocat Orco omnes Persephonea striges.
Horrida tempestas. Strident lituique, virique ;
admittit nullum seria scaena jocum.
Arma repente armis miscentur, spicula telis,

virque viro, dextrae dextera, pesque pedi.
Stabat utrimque seges nudati acerrima ferri,
inque acie multam fecit utraque necem,
horruit imprimis, diroque sacravit Averno
persaepe Helvetices, barbara turba, Spathas.
Rumpimus his certe grassantibus obvia, rumpunt
qualiter iratae, ferrea clatra, leae.
Inde leoninam coeperunt dicere pugnam,
de tanta attoniti strenuitate viri.
Undique enim cincti, cuneos penetravimus omnes,
ut penetrant duras tela trisulca petras.
Jam dextram impavidi, modo laevam invasimus alam,
area securum non dabat ulla locum.
Credere erat reduces in arena stare Gigantes,
intulerant ipsis qui fera bella diis.
Quae portentoso Titanas robore, quaeque
Geryonem memorat fabula, quaeque Gygem,
quaeque injecturos nemorosae Pelion Ossae,
praesaga Helveticae gentis imago fuit.
Credere Delphinus poterat, nimis impare cultu
centimanos secum belligerare viros,
Sive lacertosos Calabra de stirpe Milones,
sive Atlante satum, sive Glycone genus ;
nam velut Antaeos, quos dudum obiisse putabat,
viderat attacta surgere rursus humo.
Surgere vidit humo nervis tam audacibus, ac si
Phillyrides subitam cuique tulisset opem.
Pars hic sanguineas transfixo e corde sagittas
(hostica namque inter tela, sagitta fuit)
pars, inquam, horribiles retrahens e carne sagittas,
paene sibi laesam nesciit esse cutem ;
pestemque abjiciens : "His, inquit, copia telis
plurima stridoris, pauca valoris inest."
Unus in hoc albo (quatuor cum forte Britannis
obvius, absque armis, absque sodale, foret)
contra quatternos in arena militat hostes.
Postponens licitae vitam animamque fugae,
statque ingens animi, donec penetraret anhelam,
e pharetra hostili ducta sagitta, cutem.
Ergo fere exanimem repetitis ictibus urgent,
lentaque innocuum morte necare student,
et choreas ducunt. Sed iniqua haec gaudia luctus
occupat, et longos non sinit esse choros.
Cernens namque suum, collega fidelis, amicum
inter inaequales, ferre duella, manus,
illico inardescens : "Hodie vel Cosmus amico,
quattuor his fungis vel Briareus, ero",
dixit ; et Helveticam gyransque acuensque bipennem,
in sua saltantes provocat arma Scotos ;
provocat, ac binis confestim ad Tartara missis,
aggreditur reliquos, unicus ipse, duos.
Consternati ambo, Zephyrinis ocius alis,
ut vitam redimant, in sua castra volant.
Seminecem victor validos dignanter in armos
sublevat, Helvetiis restituitque suis.
Illi continuis stantes, haec inter, in armis,

fortiter hinc perimunt, fortius inde ruunt.
Et jam spumantes Phaethontis, in axe, jugales
plus mediam cursu praeteriere viam ;
cum sua Delphinus perlustrans agmina, fartos
corporibus caesis undique cernit agros ;
jamque fere numero dispersa cadavera, jamque
Celtarum elisos, fine carere, duces ;
et tamen Helvetios totis discurrere campis,
perque impune omnes ire, redire, vias.
Suscitat ergo suos, ac tot legionibus unam,
haud frustra veritus jam superesse fugam,
convocat omnem aciem, repetit fera classica, mandat
undique dispersos accelerare globos ;
iraque ne jugulet simul omnes Helveta Celtas,
afflictis subitam tendere rebus opem.
Advolat ala recens, pugnam innovat. Ingruit ingens,
accenditque aciem rursus utramque, furor.
Caedimus et cadimus. Sed dum languore peresos,
Marte fatigatos, non levat ulla quies :
saepe triumphato jam parcere cogimur hosti,
saepe triumphantes jam cohibere manus.
Tandem, ubi Luciferi primo luctamur ab ortu,
presserat occiduum Vesper et umbra diem.
Umbra fuit multis ; sed et ipso texit in hoste
bis ter millenos, funebris umbra, viros,
a ter quingentis, mirum est, sexmillia leto
Sic potuisse dari, sic potuisse premi.
Sustulit e medio non solos Parca ministros,
verum etiam primae nobilitatis heros :
principem in hisce virum, quem nuper viderat inter
stare Caledonios, terra Britanna, duces.
Te quoque magne equitum, Francorum e gente, magister,
quos decorat titulis clara Melita suis.
Ferreus interea sociorum lumina somnus
urserat, ac facies plurima mortis erat :
pleraque pars cecidit, sed inultus nemo ; praeibat
ad Phlegethonteum victima crebra lacum.
Helvetii unius quot dextera continet ungues,
tot leto, aut plures tradidit una viros.
Paenituit, sed sero tuos Delphine Tribunos,
effera in Helveticas arma tulisse plagas.
Ipsus hic in panda stans Ludovicus arena,
proelia miratus prodigiosa nimis,
si lubet, extremos, inquit, penetrare Gelonos ;
Bactra per ac duros ite, redite, Scythas :
aequanda Helveticis et brachia et arma lacertis,
nec Scytha Martipotens, nec fera Bactra dabunt.
Ingentes acies, ac multo sanguine sparsas
vidimus, arma inter nos quoque crebra, manus.
Vidimus audaces ferro concurrere turmas,
Sequana qua patrii perfluit arva soli.
At trutinando istam, sunt pura crepundia, pugnam ;
illa putes pueros, hanc agitasse viros.
Fallimur, e vasto, si lumen Atlantis, Olympo,
fortius in toto conspicit orbe genus.
Milia plus tredecim, nobiscum Gallica virtus,

justo in Francigenis, Marte, cecidit agris ;
pugna tamen nobis stragem dedit illa minorem,
quam turba haec, modica paene tegenda, vola.
Thermopylas certe partamque Leonide palmam,
et modico attritas milite, Xerxis opes,
si Sparta objicias ; ad divi bella Jacobi
respice, et audito judice, Sparta sile.
Forsan et Ascraeo quondam prodibit ab antro
Helvetus, Aonia tam bene potus aqua,
heroam ut gentem, magnisque aequanda Camillis
nomina, Pieria tollat ad astra tuba."
Sic ait, aeterno jurans socianda deinceps
foedere, cum tantis, lilia Franca, viris.
Conticuere omnes : coepit sua funera tellus,
dormierat somnum turba perempta suum.
Nec tamen una omnes animam efflavere ; superstes,
quam Clotho extimuit, turba pusilla fuit.
Turbae ego pars fueram, cui vulnera mille gerenti
vix sua seminecem membra tulere cutem.
Turba repente equitum Delphini e Principis aula,
occisos pugiles ut quoque lustret, adest.
Dux equitum Burckardus erat, de Lance - Coronae
dictus, et ipse domo nobiliore satus.
Laetus hic atque alacer, detecta in casside bucca,
caesa per, aerisono, corpora, vectus equo :
"Certe hodierna, inquit, nobis fortuna paravit
purpureas inter, balnea laeta, rosas ;
quaenam ita jucundis possent spectacula thermis,
Qualia Tempe istis aequivalere rosis ?
Laeti, agedum, socii". Nequiit sufferre cavillum
proximus, inque suo paene cruore natans
Helvetus ; ac silicem prendens sibi forte propinquum,
languida vix tandem brachia tollit humo ;
moxque petens equitem librati fragmine saxi :
"Tu quoque de nostris balnea sterne rosis.
Hanc age, tolle rosam". Dixit, vibravit, et ecce !
Dum tonat hic faxo, decidit alter equo.
Diffugiunt reliqui ; sed te Burckarde cruentat,
te Burckarde silex prodigiosa necat.
Postera ubi croceis surgens Tithonia bigis
puniceo, optatum reddidit, ore, diem :
"Vivere me dubitans, video vixisse sodales,
et vere modicam jam superesse manum.
E ter quingentis mecum, evasere bis octo :
dormit in aprico cetera turba solo.
Dormit et in roseo jam purpurat uda cruore
lumina, pro patriis exoculata focis.
Nobiliorem alibi vix obtentura triumphum,
Argaeis oculis si vigilasset, erat."

## DE PRAELIIS BURGUNDICIS ELICURTI, GRANSONII, MORATI, NANCEII.

H2_06

Ecquid, amice, rogas ? Attritam Caroli Erinnyn,
edomitas tanti hostis opes laurumque, lucrumque,
et Burgundiacas breviori schemate plagas,
dum memorare jubes ; Titanium in ungue Gigantem,
aut desperatae flagrantia Pergama Trojae,
in nucis exiguo, mandas celare, quasillo.
Dicam equidem, quae cumque manu pugnante patravi,
quaeque oculis funesta meis, quaeque auribus hausi
proelia : venturos ut in ardua facta nepotes
exstimulem, nervosque animis gliscentibus addam.
Uranie, tu Diva mihi, cui lucida caeli
sidera, et aetherios cura est lustrare Penates,
fare age, queis tandem genitusve alitusve sub astris
Carolus, aut tantos quo sidere coeperit ausus ;
ut decor ille Ducum nulli virtute secundus,
quem patulis Fortuna ulnis, quem Gratia triplex
hactenus, atque hilari blandita Faventia vultu
foverat ; Helveticis vulsus radicitus armis,
tristia deluso dederit spectacula mundo !
Hunc velut effuso largissima copia cornu,
hunc unum Lydiae stiparunt pondera gazae ;
cui Ligeris, cui dives Arar, cui pinguia Mosae
littora, cui Scaldis, Rhenique, amplusque Mosellae
tractus, inexhausto fiscum farsere tributo.
Certe hunc Sequanii, Burgundionesque bimembres
(nectaris affines ubi pampinat Aeduus uvas)
terraque Retheliae, pinguique Nivernia gleba,
legitimum dixere ducem ; nec Celtica tantum
rura, sed una alias (qua se dilatat amoeno
Belgica clara situ) rexit Burgundia gentes.
Explicat acclives quae Lucenburgia saltus,
Hannoniaeque solum Cererisque Artesia nutrix,
et celebres Batavi, cultisque annexa Brabantis
Flandria, cumque suo Limburgi terra Namurco ;
Zelandique agiles, et quos diuturna celebrant
proelia, Eburones ; ac denique, quicquid ab alti
districtu Vogesi telluris, ad usque Britannum
visitur Oceanum, tot fortia castra, tot urbes,
totque dynastiae comitumque ducumque potentes
morem, opulente, tuo gesserunt, Carole, sceptro.
Illum Europa potens, illum exoriensque, cadensque
pertimuit Titan : olli regesque, ducesque,
aut socias junxere manus, aut agmine victas
subjecere acies. Placito quemcumque regebat
magnatem arbitrio, longe celeberrimus, omnes
Carolus ante duces ; Audacis magna Philippi
progenies, proneposque suo, nec mente nec ausu,
degener a proavo, revera Carolus Audax.

### ELICURTUM.

Prima duci clades Elicurtum. Id milite nostro,
hortante Helveticam Friderico Caesare pubem,

acriter obsessum, comitum de Monte Rotundo,
Burgundi Aeacidem, violenta allexit in arma.
Ipse ferox, caedisque avidus, spiransque minarum,
certam Elicurto operam, properansque animosius omnem
spondet opem ; tacitoque studens adrepere gressu.
Belligerum ter dena virum cui millia, nostras
non exspectato praesumpserat impete turmas
plectere, et Helvetios inopino exstinguere telo.
Atqui improvisum castris mirantibus hostem.
Arma cito impavidus, ruit omnis in arma repente
Helvetus, et facto velocius ordine, tanto.
Sequanicas fervore acies, tantisque Rotundum
aggreditur comitem nervis, ut quisque cruentae
grandinis impatiens, ac tempestatis ahenae
saevitiam exhorrens, inhonesto coeperit ausu,
deserto, attonitos, Elicurto, verrere campos.
Mille e Burgundis, octingentosque vorago
sorbuit ista viros : reliqui trepidantibus alis
in mage tuta suos duxerunt tesqua tribules.
Nostra quidem,id spatii, crebras etiam agmina plagas,
et mutilos retulere artus, ac membra cruentis
saucia vulneribus. Sed quod mirabile cunctis
creditu, et aeterna facinus memorabile fama :
tot gladios, tot tela inter, tantique cruoris,
profluvium, furor ille avidus, fervorque, nec ullum
sustulit Helvetium : Lachesinque arcentibus astris,
perdidit aetheriam nemo ex nostratibus auram.

GRANSONIUM.

Carolus, obsessi digressus ab urbe Novesi,
percitus hac fama, calcato immitior hydro
perfurit, ac Martem Helveticas invitat in oras.
Desertis idcirco Ubiis, domitisque propinquae
partibus Austrasiae, liquido vicina Lemanno,
mox et Aventini bacchatur in oppida Pagi.
Taeduit e propriis solum conscribere terris
dignam animo tam grandi aciem. Lombardia crebros
insuper Insubres, princepsque Sabauda frequentes
addidit Allobroges. Placuere emissa Tarento
agmina, et Hesperiis miles selectus in agris.
Scilicet ut quondam Salomonis gloria, magnos
traxit ab Eoo Phaethontis cardine, reges,
Sidoniosque, Arabesque nigros, mollesque Sabaeos.
Magnificas ut regis opes, Salomoneque dignam,
quilibet admisso spectaret lumine, pompam.
Sic Europa fere, qua fax Hyperionis undas
vergit ad Hesperias, Burgundum inflexit in unum
consilii mentisque aciem : quem Gallia dives,
quem Siculi reges, omnisque Oenotria tellus,
Angliaque, Ausonioque potens Germania sceptro,
muneribus coluere suis. Clarissimus ergo
Carolus, ut famam luxu superaret opimo,
castra per ac nimio Tentoria turgida luxu,
omnigenas instruxit opes ; hic multa Smaragdus,
creber Onyx, lucensque Adamas, summisque Monarchis

aemula Majestas, stupefactum terruit orbem,
vidit, et attonito perlustrans omnia visu,
pot procerum, tot clara ducum, tam splendida regum,
mirifice excultis, praesens legatio, castris,
in Burgundo ipsum mirata est principe Croesum.
Subtractura igitur jam exortae incendia flammae
Helvetia, irati satagit placare furorem
Caroli, et electis, nimis acceptabile pactum
offert, legatis. Patitur despecta repulsam
patria, ceritus solito terit omnia fastu
Carolus, oblatam renuit Burgundia pacem.
Hanc iterata tamen quaerit legatio, et omnem
intendens operam : "Nostro, inquit, Carole, juri
cedimus, obtentasque ultro tibi reddimus urbes.
Foedera quin etiam quaecumque externa jacebunt
irrita : te solum scribentque colentque deinceps
Helvetii socium. Quod si conterminus hostis,
et conjurati, metuenda potentia Franci
immineant, belloque premant, te nostra sequentur
illico, et una omnem tecum ibunt agmina in hostem.
Si praeda alliceris, modicas certe Helveta tellus
suppeditabit opes. Phalerae, queis cernimus acres
Fulgere quadrupedes ; ocreaeque et ephippia ab altis
pendula visa tholis, et quod frenosque luposque
exornat pretium, fulvoque corusca metallo,
infinita tuis quae sunt calcaria castris,
Helvetiorum omnes superant hoc tempore gazas.
Respuit ira precem. Burgunda ferocia nullo
flectitur officio. Vulgantur turbida totam
bella per Helvetiam. Prima infestatur arena
Gransonium, electo quod nuper milite, sumptis
e patria tellure viris (dispersa ferebat
fama, Octingentos illuc migrasse colonos)
inclita cum socio providit Berna Friburgo.
Gransonium petit ergo audax, petit agmine vasto
Carolus, ac plenis tentoria plurima campis
explicat, Argivas aequantia mole Mycenas.
Urbem ipse omnigenis, crepitanti murmure, telis
sollicitat ; murosque fero, vallosque tumultu
impetit irarumque omnes effundit habenas
bellica sexcentis tormenta advecta quadrigis
pulvere grassantur pyrio, grandique boatu
terribiles objecta vomunt in moenia glandes,
tanto ardore ducis, tamquam si denuo atrocem
clara, per Hannibalem, foret expugnanda Saguntus.
Berna quid haec inter ? Quid bello illustre Friburgum ?
Helveticas in ferrum urbes, in proelia Fratres
excitat, ac properam Sociis, urbs utraque pressis
poscit opem. Mora nulla subest, animosa petuntur
arma, sub Helveticis excurrunt strenua signis
agmina, et impavido, per compita quaeque, viarum,
conveniunt una, Neocomi ad moenia, gressu.
Verum ibi consilium multas dum crescit in horas.
Perpetim in obsessos Burgundica saevit Enyo.
Jamque studens technis, quos nesciit hactenus armis,
allicere : "Instantem quin perdita turba ruinam,

clamat, et hortendam, quae vox manet unica, mortem
dum licet, arcetis ? Commotae principis irae.
Si lubet aetheria vesci prolixius aura,
cedite : Sequanicis non responsura lacertis
moenia, tamque fero jam saepius ariete quassum,
plumbivomoque iterum igne et aheno iterum imbre domandum
dedite Gransonium. Vitam salvare labantem
non aliter vobis, quam libera et arcis et urbis
deditione, licet. Salvi, si ceditis, estis ;
contra, vixistis. Jurato a principe verbo
fidite, et a Stygia vosmet servate fodina.
Subsidii nec vero ullam plebs victa Chimaeram
fingite : Berna ruet ; ruit obsidione Friburgum ;
foederis Helvetici tota est symphonia discors.
Cedite, et assuetas sibi quisque revisite mulctras,
quis petat ex ipsis graviora oracula Delphis ?
Desolatum igitur, nec vero juvaminis ulla
erectum fama, tamen haud superabile tanto
fulmine Praesidium, nitrata grandine ahenis
prosiliente tubis, noctuque diuque petitam,
egregia sed enim semper virtute renisam,
tradidit arbitrio Burgundi principis arcem.
Hic, agitate nova, dux iracunde, Medusa,
verbique o nimium nimiumque oblite ducalis,
ausus es, o quanto, cognatae encomia famae
obfuscare probro ? Dum sacra per omnia sponsam
mox violare fidem ; dum Graeca fallere techna
Helvetios, verboque gravi, gravioreque fretos
principe ; dum insontes celsis suspendere ab ornis,
et putrido exanimare lacu, sicque omnibus una
non timuisti amens miseras elidere fauces,
totque inferre neces, salvas quibus omnibus una
promisisti animas. Adeo tibi, Carole, Cretes,
ac tam magnifica fraus Punica regnat in aula ?
Praeteritas, hercle, ista tibi Rhamnusia laudes
funditus, atque omnem ferit atro anathemate famam."
Vindex quippe Deus Neoburgi hucusque moratos,
conciliumque artis belli de rebus agentes,
erigit Helvetios. Salodorum, Suitia, Berna,
(magnanimas nervosa inter pollentia turmas)
consiliis jam accensa novis perque aera passis.
Excita vexillis, truculentum excurrit in hostem.
Auxilium latura suis. Sed fama patratae
nuntia perfidiae, ferietque miserrima leti,
ut liquido vulgata fuit ; fremebunda furori
calcar, et ardentes dedit indignatio nervos.
Primus in hostiles exercitus iste catervas
irruit, atque audax cum objecta principis ala,
mole quidem fastuque minor, sed pectore major,
ventilat, usque adeo, socias quoad ipse phalanges
cursim e contiguo vidit descendere clivo.
Sudum erat, ac lampas radiis Phoebea serenis,
militum ab aprico properantum colle, micantes
lustrabat galeas ; ac tot thoracas ahenos,
Totque cataphractum ferrata per arma virorum.
Flammigeram partita facem, nictantis ad instar

fulguris, Helveticas fecit rutilare cohortes.
Ipsae iter accelerant, et rauco murmure pergunt
belligeras inflare tubas ; caelumque solumque
Luceria horrisono perstringit, et Uria, cornu,
laetitiaque suos plaudente feruntur in hostes.
Territus his lituis nimiumque micantibus armis
Carolus, e nostris captivum forte tenebat
nobilem : "Et isti, inquit, tam immani mole Typhoei,
insulsaque nimis Tritones voce boantes,
qui genus ? Unde domo ? Quid tanti fulguris agmen ?
Tamque peregrino quid Cornua stridula cantu ? "
Ille : "Adventiciae, dux o Mavortie, turmae
Helvetica geniti quoque sunt e gente Camilli,
formati ex una, cum plebe priore, farina :
prodiga gens animae, motoque asperrima bello ?
Juris amans, rectique tenax ; simplexque, cuique
de meliore luto finxit praecordia Titan ;
jamque, ut tute vides, socios ultricibus armis
ereptura suos." Toto hic expalluit ore
Carolus, et dirum metuens sub pectore testem
commissi sceleris, secum una perspicit omnem
consternari aciem, Circum ergo paventia cursans
agmina, magnicrepis virtutem accendere dictis,
atque animos revocare studet : praecepsque per omnes
provehitur peditumque globos, equitumque maniplos
vociferans, ferrumque vibrans, turmasque fatigans,
arma viri, arma viri ingeminans. Jam fulmina, et igneas
balistis torquere pilas, jam cuspide ferri
cominus in nostras, jubet ebullire phalanges.
Sed furit in cassum : titubat Burgundia, curvis
aemula Maeandris, nimio jam ardore furentem
nescia ferre hostem ; fuga tutum suadet asylum
unica, sed stricto Ducis iracundia ferro,
urget opus, tardatque fugam ; lorisque, flagrisque,
verbereque inversae, trepidantes excitat, hastae.
Nil agit infelix, sed inanem percutit Austrum ;
erumpunt pedites ; stantemque ac multa manentem
deserit ipse ducem versis, equitatus, habenis.
Ergo operam perdens, animam ne perderet, audax
cedit, et una omnem, qua se Burgundia Crasso
praetulit ac Cyro, sinit evanescere gazam.
Fausta erat Helvetiis, nec multum haec Scena cruorem
hauserat. E nostris acie durante momordit
ter denos Libitina viros. Tibi, Carole, septem
loricati equites ; quadringentique pedestres,
effudere animas. Captae hic cimelia praedae
credam ego thesauris veterum praestare Quiritum,
quos tulit ad victas, prognatus Amilcare, Cannas.
Gransonicis quascumque Midas Burgundus in arvis
ostentabat opes ; quicquid per Castra nitoris,
perque triumphali tentoria structa paratu,
quidquid erat pretii : seu pictas murice rallas,
seu cocco chlamydes, seu quis Milesia serum
vellera, et Attalicae fulgentia stamina lanae
nominet, Helveticis spolio cessere colonis.
Atqui ea quis memoret ? Tyrii conopea texti

plurima, et e fulvo caelata aulaea metallo,
telasque innumeras, Indo quas dente politas
illustrat roseo conchylis purpura succo,
Et vidi, et stupui. Tempestas ebria baccis,
ebria caeruleo missis a Gange Pyropis,
perpetuo nullam perpessis lumine noctem,
inter collectae crepuit myrothecia praedae.
Quicquid enim gemmae generat natura profundo
Tethyos in gremio, quicquid praedivitis Hermi,
quicquid arena Tagi pretioso germine volvit,
una in Gransonicis reputabam effulgere campis.
Maxima ne tangam procerum dispendia ; solus,
ut perhibet, princeps, auri plus mille talentum
fecit jacturam. Cataphractae, tela, sarissae,
balistaeque truces, fulmenque imitata trisulcum
tormenta, et pyrii, mutuenda tonitrua, scloppi,
carrique et currus, victusque habitusque, penusque,
excedunt numerum. Patinarum argenteus imber,
merx velut expositi coepit vilescere stanni,
victori Helvetio. Congestos aeris et auri
dispertiverunt aequalia pilea nummos.
Inclitus ille Adamas, arcanae fulgure stammae
inter Hydaspeas tralucens undique gemmas,
Visus et in medio fuerat splendescere caeno.
Hic pretio regionem aequans, interque supremas,
census delicias rarum velut orbis Eoi
prodigium, fama Arsacidas penetrabat et Indos,
gaza suprema ducis. Tam nobilis ergo lapillus
Helvetico cum forte foret conspectus ab Iro,
tollitur, ac cautim floreno venditur uno.
Emptor erat Mystes ; hic cum Garamantide gemma,
cui vix Helveticae sint respondendo crumenae.
Donasset patriam ; gemino insignitus abivit
aureolo, egregii gavisus foenore lucri.
Vidi ego fulmineum generosi principis ensem
plus aequo celebrem, cui multo prodiga sumptu
jaspis, Erythraeis distincta hinc inde Smaragdis,
stellatum ambierat capulum ; cui Mulciber aequam
cudere rhomphaeam Siculo si poscat in antro,
postulet artificem, stipante Pyracmone, Brontem.
Scrinia praetereo, scite complexa verendas
divum reliquias Polycleti ac Mentoris ipsas
arte imitata manus ; ubi larga utriusque metalli
pondera, et e puro Calicem deprendimus auro.
Hic mihi castalio venit extollenda cothurno
Luceria, Helveticae lux non obscura coronae ;
belligerum quae aggressa Ducem, cum more Quiritum
cedere nolentum, calidis fervesceret armis,
Chastilionaeum vexilla suprema gerentem
sternit, et eximio potitur cum laude tropaeo.
Grandis erat pretii labarum ; crux aurea spiris
transversim distincta suis, hyacinthino et albo
Puniceum docta permiscuit arte, colorem.
Dignum hac Luceria pignus, cui grande sigillum,
aurea tota domus Burgundae insignia, opimo
accessere lucro divisis ordine praedis.

Cernimus ecce viros plus, nostra e gente, trecentos,
faucibus elisis, aliaque aliaque gradatim
e trabe suffixos. Erat hic cum patre perempto
filius ; hic caro sociatus amicus amico ;
hinc gener, inde socer. Sed quod miserabile visu,
bini saepe viri, frater cum fratre, neposque
cum patruo, mandante ducis Rhamnusia, ab uno
penduli erant laqueo. Quidni spectacula tanto
digna viro ! Hos omnes meliori marmore dignos,
invictos patriae pugiles, ipsius in urbis
aede sacra, meriti decoramus honore sepulchri,
inferiis ipsis solemni more peractis.
Et sic Gransonico finem dedit alea bello,
vere novo, tepidum regeret cum Martius orbem.

## MORATUM.

Rerum importuno turbatus pectora fato
Carolus, Hyrcana fremuit prae tigride, raptis
si qua furit catulis. Lausannae perculit aegrum
febris anhela animum, quam nullus in orbe Machaon,
nullus in Europa Chiron, sed sola levaret
Adrastea ultrix. Saevum ciet ergo Gradivum,
voce vocat Superos, Acheronta lacessit et astra,
ac lapidem quemcumque movet, melioribus armis.
Ut male suscepto reddatur talio bello.
Inde celer profugas, hinc inde recolligit alas :
multiplicatque acies, graviore exercitu agrestes
ut domet Helvetios. Legatio crebra per omnem
spargitur Italiam ; percurrunt tympana Belgas,
tympana Burgundos ; nimiam sarcire ruinam
praecipitur cunctis, et Corus et Eurus, ab oris.
Nulla mora, ingentem Provincia quaeque profundit
militem, adornandis incumbunt Aedua sclopis
oppida : fulmineas, tormenta curulia, moles,
turrifragosque tubos, mittit Burgundia centum
ac quinquaginta ; caruerunt fine quadrigae
principis, et farti nitrato pulvere carri.
Atque his balistis, nimiumque feroce virorum
grandine et armorum (qua vix graviore putares
Dorica Achaemenium properasse in proelia Xerxem)
impetit in cautum flamma graviore Moratum :
invitatque animos pretiis, ac grandia palmae
praemia designans, urbesque, arcesque, domosque
spondet et immensum pugnae proponit honorem.
Jamque adeo sors missa fuit, quid Satrapa quivis
tolleret : Urbs Titio, castra altera et altera Cajo
obtigerant, ac mente vagas dum quisque Chimaeras
fabricat, ante ipsam vulgata est symbola cenam.
Haec ubi finitimas vulgavit fama per urbes ;
hortante Arctopoli, revocantur ad arma recentes,
Helvetica de gente, acies : Taratantara clangunt
patria, bellicrepas Mavortia tympana cantus
ingeminant ; nova quisque suas in bella secures,
cumque togis ferreis, longisque bipennibus, aptant
gransonica madidas etiamnum a clade machaeras.

Subsidia externi non dedignantur amici :
argentina suas Basileaque prompta cohortes,
raraque quae lambit conterminus oppida Rhenus,
explicitis, properata jubent per compita, signis
Helveticas intrare plagas. Quin Austrius heros
ipse Sigismundus, supremo e sanguine princeps,
mittit ab agnata claros dicione maniplos.
Adstitit hos inter quoque dux Reinardus, ademptae
regulus Austrasiae, turma stipatus equestri.
Magnus ubique ardor, stat cunctis unus et idem
belligerandi animus ; vox una scopusque Moratum :
"Hic ego, qui primas, patria mandante, phalanges
rexeram ; ut hostiles totis se extendere campis,
non secus ac spissas Libyae turgentis aristas,
aspexi cuneos : O multo exercita bello
pectora, macti animis, inquam ; patet altera vobis
alea, gransonicis quae responsura tropaeis,
munificas promittit opes, lauramque, decusque,
palmasque, ac celebrem famae immortalis honorem.
Sequanus en rediit, bona nobis cetera, et amplae
reliquias gazae, vitamque animamque daturus.
Ampla Ducis seges est, sed nostras, credite, falces
excidii jam gnara timet. Vos Principis iras,
vos tremulos ne horrete viros, quos Helveta nuper,
vix bene tentata, repulerunt agmina, pugna,
annua lux agitur, qua tot vertentibus annis
(octo et tricenis centesima jungitur aestas)
praeda, triumphus, honos, victoria, laurea, nostris
parta fuit proavis ; cum ingentes hostium acervos
exiguo ad Laupae plexissent moenia, coetu.
State, agite intrepidique omnes intendite nervos.
Causa placens Superis, ac virtus pristina, nobis
astripotente parem spondent a Numine laurum."
Carolus interea repetitis glandibus urbem
arietat, atque schedis jaculo trans moenia missis
deditionem urget ; renuenti extrema minatur
supplicia ; invicto sed Bubenbergius heros
praesidio, quassis iterumque iterumque iterumque
frustra insultantem, pulsat de moenibus, hostem,
strage ingente virum. Quintiles ante calendas
orta dies decima est. Hic pugna indicta cruento
saeviit excidio. Primi praeludia belli
pugnaces habuere canes. Nostratia forte
cum Burgundiaci subiissent, castra, Melampi,
importuna phalanx ; in mutua proelia nostros,
inque feras rixas confestim acuere molossos.
Namque indignati peregrinos ferre Lyciscas,
dente salutatos, morsuque audace repulsos,
transmisere suis, comitatu ululante, magistris.
Tempus erat pugnae : pars utraque fervet in hostem,
urget utrimque suos. Sed cum nimbosus Orion
aethera turbaret, vultuque nigerrimus Auster
non interruptum caelo dimitteret imbrem,
"Eia, viri, exclamo : vocat hora, ruamus in hostem,
rumpite quisque moram. Moriendum, aut pectore forti
nunc est certandum : fausto Mars ipse favebit

sidere, si primae caleat congressio pugnae.
Sed prius intento caelumque Deumque precatu
quaerite, et una illum, majorum more, Tonantem
flectite, qui palmas, qui mittit ab axe triumphos."
Ille dedit vires Patribus : praesentibus idem
suggeret Helvetiis, et eorum foedere nexis,
tam validas in bella manus, ut Marte secundo
magnicrepum sedare hostem, nimiumque molestas,
propulsare suo possint a limine, gentes.
Dum simul oramus, Deus, ecce, pluentibus Austris
imperat, eque uda proscribens Pleiadas aethra,
praecipit aestivis ardere Hyperiona flammis.
Rursus ego Phoebumque vocans, et ad aethera strictum
projiciens gladium : "O laetis bona nuntia signis,
quid nisi laurifero portenditis omine bellum !
Indole Cervina superati abiere molossi ;
sol jubare orantes, radiisque illustrat ? Eamus,
quaque Deus, quaque ipsa vocant nos astra, sequamur.
Pergimus ergo hilares." Sed jam majore renisu
stant Burgundiones : manet alta mente repostum
gransonii damnum, veteresque resuscitat iras.
Classica rauca sonant, vastos balista molares
evomit, et crebro repetita tonitrua plumbo
(dum sine lege volant) aliosque aliosque cruentant,
interimuntque alios, juratque acerrimus hostis ;
se, prius occiduum quam visitet Hesperus amnem,
exstincturum omnes, quicumque inimica sequuntur
agmina, Suiceros. "Juranti obnitimur hosti,
conferimusque acies, jaculisque instamus et armis,
donec in Helveticas tormenta curulia passim
devenere manus." Hic tandem dextera dextrae
conseritur ; ferit hasta ensem, gladiusque sarissam :
concurrunt alacres, oriturque asperrima caedes ;
usque adeo, ut nullam nisi discedendo salutem
Sequanus esse ratus, verso valedicere dorso
coeperit, et spreta fugere incessanter arena.
Regia in aprico struxit tentoria clivo
Carolus, unde omnem penetrabat lumine scaenam :
hanc ergo tragicum dum vergere prorsus in actum,
dumque suas vel obire simul, vel abire, cohortes
vidit, et ingentem fluitare per arva cruorem ;
anxius, ac dura perplexus sorte, secundam
per salebras, per saxa fugam meditatur, et omnes
quadrupedante celer praetervolat alite campos.
Perseus ipse suas pro tanto principe pennas
tradere visus erat ; nulla hic praevertere lynces
laurea, cursu ipsos sonipes praeverterat Euros.
Sed neque vita fugae est : aciem sic quippe volantem
insequimur celeres, ac fusi sanguinis omnes
spargimus imbre vias. Pars ergo superstes in ipsis
quaerit asylon aquis, nimio terrore propinquum
insiliendo lacum. Pars tentat in aere diram,
evitare necem, fagosque frequenter et ornos
scandit, et hirsuto proceras vertice pinus.
Pars tremebunda cavos, leti formidine, furnos
introit ; et sursum vaga volvitur atque deorsum ;

usque adeo instantis torquet meditatio mortis.
Sed frustra, o miseri, muscoso e pumice surdas,
sollicitatis aquas. Furnusque, ornusque, lacusque,
tellusque, armatam nequeunt avertere Parcam.
Victrix namque manus, flammatis horrida telis
omnia perscrutans, et non nisi Marte secundo
proelia continuans, jam territum ab arbore Flandrum,
dejicit, ignita jam figit glande Cheruscum,
jam ferit Allobrogem, jam clausum in fornice furni.
Suffocat Batavum ; totidemque cadentia spectat
corpora, concussa quot pastor ab ilice glandes
praecipitante Noto. Sed dum per stagna profundi
Martia turba laci, crebras fluitare catervas
prospicit, in vasto ceu nantes aequore mergos ;
insidiante Tubo, dum nulli parcere novit,
quemlibet interimit, ferus inde ad sidera clamor,
nequicquam obsessi per stagna, per arva, Morati,
tollitur ; atque omnes lurorque cruorque plateas,
Burgundi exuviis, ac trunco milite plenas,
occupat : horrendus per sparsa cadavera luctus,
naeniaque, et querulus contrita per agmina lessus,
per loca quaeque stupor, maerorque, angorque, dolorque
infremit : accensae stant cuncta simillima Trojae.
Unus ibi (aeterna res est dignissima fama)
ferreus ac toto cataphractus corpore miles,
clarus et ipse domo, Burgundus gente, stupendas
attonita dum mente neces miratur ; anhelum
versat equum, laxatque lupos, fugitatque, lacumque
insilit ; et vastas satagens tranare procellas.
"Summe parens, inquit, si te tutore tuisque
sospes ab auxiliis elementa per omnia sparsas
effugere insidias, patula si fauce minantem
evitare queam, vitaeque animaeque, charybdin ;
nulla Echeneis erit ; Thebaei martyris Ursi,
militis egregii, Salodoria in urbe, sacratam
(sic juro, ac voveo) supplex provolvar ad aram,
et meritos, cum laude, hymnos, et Numine dignas
persolvam grates. Erit haec cataphracta patrati
tessera prodigii. Tu me, Pater optime, nantem,
tu rege labentem." Sic fatur, et ilicet omnes
remigio fausto penetrat, vir aheneus, undas,
egrediturque lacu, dictamque celerrimus urbem
appetit, ac summam non aegre admissus in aedem,
prosequitur miro Thebaica Lipsana cultu,
voce Deum celebrans, magnique Tonantis amicos
munifico fervore colens. Suffigitur ergo
fornici, et aeternum statuit cataphracta tropaeum :
Nox furiam dirimit, quae si tardasset opacas
Dictynnae bigas ; de tot legionibus hostis,
integer ad patrios remeasset nemo penates.
Sat tamen, o Superi, nimiumque haec Scylla cruoris
glutiit, heu quanto Mars hic efferbuit aestu !
Non secus ac plenis quando jam nutat aristis,
solstitio fervente, Ceres (dum murmure rauco
transcurrunt piceas commota tonitrua nubes)
scinditur aethra Notis, armatas Aeolus hiemes

excitat ac subitum crepitanti grandine bellum
per sata, per segetes, per densa arbusta, per hortos.
Per vineta coquit : concretus in aethere nimbus
omnia praecipitat ; furit undique saxeus imber,
verbere pulsat humum, quatit ardua tecta, domosque.
Agrosque, stipulasque ferit : labat icta repente,
triticea cum messe, seges ; ruit inclita florum
purpura, percusso moriuntur lilia culmo.
Sed neque grassantem Pomona vel ipsa ruinam
effugit, horrendam vis grandinis unica stragem
perpetrat, exculti perit omnis gratia campi.
Helveta tempestas, obsessi ad castra Morati,
turbine Burgundas haud quaquam dispare stravit,
Elisitque acies ; nec segnior impete grando,
nec minor armati fuit hic violentia nimbi ;
triginta enumerant, inimica e gente, virorum
milia, queis vitae Clotho abscidit improba filum.
Rari iterum e nostris, quos plumbeus imber ab ipso
pugnae principio, crepitusque exstinxit ahenus.
Mansere in spoliis tentoria mille, covini
principis innumeri, scloporum machinae, acervus
annonae immodicus ; ducis aurea sella, sigillum
auro caelatum, pretiosi nobile sceptri
pegma ; peregrina mirabilis arte galerus,
qui caput augustum festivae tempore pompae
cinxerat, ac Tyrio flagrans rhomphaea smaragdo.
Annulus inde frequens, quem rubra Hyacinthus ab unda,
et varius fulgore suo pingebat Achates.
Plurimae ad haec vestes, quas vel textura ministrat
Thessala, vel tinctae Meliboeo murice lanae.
Cetera, quae longum foret hic memorare (sacellum
aulicum, et Indo alias aliasque e litore merces)
transeo ; quae maesto reminiscens pectore princeps :
"Certe, ait, Helvetii justa si lance repertam
distribuant praedam, quamquam de paupere Codri
caespite sint geniti, nunc ostro turgidi et auro,
nunc Rhodios sortiti imbres sibi plaudere, et orbas
aere peregrino poterunt farcite crumenas."
Dixit, et invicto, petit Aedua rura, Morato.

## NANCEIUM.

Nec, quibus a summo pluit haec victoria caelo,
munera grata Diis, meritosque litamus honores.
Nec tamen orta quies : Superosque hominesque fatigat
Carolus, atque novam novus Hannibal intrat arenam.
Instaurata acie Tullingum infestat, et acri
efferus obsidio, Nanceiam territat urbem.
Inde citam Reinardus opem, cursando per omnes,
suscitat, helvetios. Excurrunt fortia passim
agmina, Burgundas inquisitura catervas.
Mensis erat Jani, canis ubi cuncta pruinis
texerat, et saevam Capricornus coxerat hiemem.
Invaluere nives, spirabant frigora Cauri,
stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Cum Pater omnipotens glacieque geluque rigentem,

Luciferi fulgore, aciem sic temperat ; ac si
ureret arentes aestiva Canicula messes.
Caelo agimus grates. Praesentem prurit in hostem
jam sua cuique manus, sed in hoc certamine primas
dum Lotharingus avet ; nos ritu ac more vetustis
solemni Helvetiis, pertaesi ferre secundas,
sanguinolenta damus funestae exordia pugnae ;
nec torpent socii : concurritur illico, et ingens
exoritur strages. Dux ipse deosque deasque
invocat, ac tremulam mucrone, furore, feroque
incitat ore aciem, laturus ab hoste triumphum,
aut animam acturus volat hic, volat ecce per agmen
funereus bubo, cantuque ululante sinistrum
ingeminat venisse diem ; quo praescia fati
Atropos, ingentem sibi vendicet orbis Achillem.
Sequanii fugere globi. Dux ipse probrosam
dejerat ore fugam ; Satrapaeque ac indole multi
nobiliore viri, dum rupis ad instar ahenae
pugnando durant ; maestos invisere manes
luridi et una atras properare jubentur ad umbras.
Tu quoque gemma ducum, tu magni pulle Gradivi
Carole, tam crebris quondam cantate triumphis,
Tam gravibus stipate armis ; tu stirpis avitae
gloria, tu gelido necdum mature sepulchro,
occidis ; et nullo Serumve, Arabumve, Phrygumve,
vellere jam tectus, nudos inglorius artus
expandendo, jaces ; totique incognitus orbi,
in desolata squales inhumatus arena.
Eheu, quis credat, quod regum fulmen et horror.
Quod leo, qui totum rugitu exterruit orbem,
paverit ipse sua crocitantes pelle volucres ?
Dii tibi, magne heros, clypeoque ornande Pelasgo,
dii tibi sint faciles : Nanceiam, emortuus, urbem
tot studiis vivo, tantoque ardore cupitam
ingrederis. Victor tibi dux Reinardus, et armis
prosper ab Helveticis, tam illustri principe dignas
instruit exsequias ; et quem Burgundia dives,
quem capere immensis ipsa augustissima terris
Gallia non poterat jam angusta condit in urna,
claudens exiguo Burgundam marmore pompam.
Vere adeo instabiles, genus hoc mortale, deorum
cernimus esse pilas. Sternunt excelsa petentem
Icaron, abjectum tollunt de pulvere Daphnim.
Quae tibi prolixe dum enarro, coronide totam
claude isthac seriem. Despectos Carolus Audax
dum gravat Helvetios, Elicurti perdit amicos ;
Gransonii gazas ; hominum tricena Morati
millia ; Nanceii foedo ipsam vulnere vitam.

## DE CONFLICTU DORNACENSI.

H2_07

Littera, sanguinei properans e pulvere belli,
   Gestit adire tuos, vix mihi lecta, lares.

Una quidem geminam proponit Littera frontem,
Hinc seriem palmae personat, inde fugae.
Rauriacis perarata fuit celeranter in oris,
qua Dornacensem Birsa pererrat agrum.
Parce, cruorifluas referat si fronte lituras ;
dextera, quae scripsit, sparsa cruore fuit.
Effuso aprici maduerunt sanguine campi,
defecitque ipsam sepia paene manum.
Lancea, tela, sudes, rhomphaea, sarissa, dolones,
et cum nitratis hasta sparusque pilis,
stiparunt nostras, rauca inter tympana, dextras,
et calamorum omnem functa fuere vicem.
Hisce quidem telis peregrinum invasimus hostem,
efferus Helveticos cum penetraret agros.
Austrius hostis erat, mixtimque per utraque Rheni
litora, pugnaces legit in arma viros.
Caesareae fulsere Aquilae : gens tota merebat
Maxime- sub signis -Aemiliane tuis.
Spira Nemetum acies, Wormatia vidit in armis
fulgere Vangiones, terra Bohema Quados.
Argentina citos dedit haec in bella Tribocos,
et Burgundiones conscia Dola suos.
Geldria veloces, numero majore, Sicambros
misit, ab intonsis agmina nota comis.
Convenere simul ter milia quinque ; sed agmen
Fuerstenbergiacus rexerat omne Comes.
Ille suas prodire acies, properare maniplos.
Turbam omnem Helveticis appropiare plagis ;
balistis gravidas, plumboque, nitroque, quadrigas,
militiaeque omnem prae- jubet -ire penum.
Jamque per Alsatiae vectus confinia, tutum
sub Dornacensi fixerat arce pedem ;
agminibusque suis : "Castrum quod cernitis, inquit,
jam Salodorana, sub dicione situm,
quarta ubi discussis, aut tertia luna, tenebris,
Laomedonteam cernet adesse nurum ;
cernet adesse novos, intra sua tecta, tribunos,
sint licet in summis condita tecta jugis.
Serviet, aut nostris facto impete corruet armis ;
ecquis enim, contra qui modo sistat, erit ?
Helvetios noster non solum exercitus urget ;
complures, quicum congrediantur, habent.
Irruet armisonis, jamve irruit, Austria nimbis.
Sueva Brigantinus qua secat arva Lacus,
quaque Lepontinis Feldkircha est proxima Raetis,
producent acies signa Athesina suas.
Cum sociis, illinc legio Taurisca, Carinthis,
densa, per Alpinas, inseret arma, plagas.
Una quid in tantos possit regi uncula ? Discet
Eumenidum ultrices non periisse manus.
Suevica conceptum jam supprimet unio fastum ;
mugire Helveticos jam facit illa boves.
Exseret una omnes jurata Alemannia vires,
obsidioque ullum non dabit ista metum.
Dornaco everso, fas est proferre secundum
ad loca in Helvetiis interiora, gradum."

Sic belli praetor praesentes Caesaris alas
excitat, ac promptos reddit ad arma viros,
quintilis media, jam exorta canicula, sphaera
fulserat, et tostos spica tegebat agros ;
hostica cum sparsim Saliares agmina ludos,
et plausum, et lepidis gaudia mixta jocis,
exauctorata, peragunt temeraria, cura,
ut solet Ogygii Baccha ministra Dei.
Pars succincta suas circum spatiatur abollas,
pars Brisae tepidis corpora mulcet aquis.
Fannia lex castris aberat ; sibi quisque litabat
clamosas inter, Caecuba vina, dapes.
Rari illic Curii ; multi, quibus alea pernox,
ensis et excubiae ; tela, fritillus erant.
Credideram Saliosque leves, nudosque Lupercos
sub Dornacensi, castra locasse, jugo.
Unus et alter erat, quos multa peritia belli
(fortunae ancipitem quae docet esse rotam)
commonuit periisse aciem, quaecumque fuisset
seu secura nimis, sive superba nimis ;
hortatique ducem : Catapultis talibus, aiunt,
proposito certe vix potiere scopo.
Expugnanda alio Dornecka est ariete ; nobis
parturient nostrae commoda pauca morae.
Pestifero pugnare solet gens Helveta ritu.
Nec timet armatas sulphure et igne pilas :
quamlibet instructos avidissima currit in hostes,
signaque pallentis nulla timoris habet.
Et quoniam rari sunt hac e gente triumphi,
obsidio cautas exigit ista manus."
Dux paucis contra : "Quid Panicus iste fatigat,
quid jubet incassum vos trepidare timor,
nullus ubi timor est ? An sicut Aquarius imbrem
spargit, et hibernas evomit aura nives,
sic etiam Helveticos censetis ab aethere nimbos,
et pugnatrices, posse volare, manus ?
Ite genus pavidum : si displicet alea Martis,
Mercurii trepidos ventilet ala pedes.
Quos umquam timidos Tarpeias, obsecro, ad arces
invexit niveis currus eburnus equis ?
Si visi Helvetii cassam trepidatis ad umbram,
non moror ; ad patrios quisque redite focos."
Dixit, et extra omnem teli se vivere jactum,
in portuque suam credidit esse ratem.
"Explorator ego, lustro hic exercitum, et ambas
cum vigilante loci Satrapa, obarmo manus
sub benedicto equidem securum praeside castrum,
omniaque in tuto, sum ratus esse, vado.
Glandiferis hic quando tubis salvere procaces
e Dornacensi jusserat arce, choros ;
ilicet elisi reputabant Teutones, ipsum
fulmine Trinacrio pertonuisse Jovem.
Edidit hic toties compluria funera, sclopi
laxatas quoties imbuit igne rotas.
Interea laetis synthemata splendida signis
cernimus, e patrio missa repente solo.

Quindecies centum capita hic numerata ; putabam
quindecies centum me numerare duces.
Omnia pectus erant in toto hoc agmine ; visa est
misisse Herculeam patria nostra tribum.
Impransa haec acies, tam fervida solis ab aestu,
Quam maturatae fessa labore viae,
castra ubinam ? Vel ubi hostis ? Ait. Dabit ille quietem,
solus anhelantem diluet ille sitim ;
prurit in arma manus. Sed in hac prurigine turmas
urbs Tigurina suas, inclita, Berna suas.
Nobile subsidium, labaris utrimque coruscis,
sistunt ; Helveticam signa professa fidem.
Egregios juvenes, vultuque armisque verendos,
et vel Scaeva tibi, vel tibi Pyrrhe pares,
magnanimi rexere duces, quos ipsa timeret,
Tartareis quamquam, cincta Megaera, flagris.
His amor unus erat, nec stratae accumbere mensae,
fessa nec apposito membra fovere cibo.
Sed neque stare loco, donec constaret, Ubi hostis ?
Quantus ei numerus ? Quis situs ? Ordo ? Status ?
Liestalio egressi, sinuosa ambage refertum
per loca, conscendunt, non bene trita, jugum ;
intuitique hostem, jactanda est alea, clamant ;
grande rei pretium Mars bene coeptus habet.
Maturemus opus, poliamus in hoste machaeras,
unica non parvo proderit hora lucro.
Discurrunt saturae, sine regula et ordine, turmae :
disciplina suum non habet ulla locum.
Tela magis ferient necdum praenisa. Jubetur
quisque repente suam miles obire vicem.
Transierat medium jam biga Hyperionis axem.
Torrueratque gravi Sirius arva siti.
Cum simul unanimi decernitur ore, per omnes,
pugnandum nobis ocius esse, duces.
Antevolant socias Salodoria signa cohortes,
offenduntque amplum, sed sine lege, gregem ;
inter, hic, effusos, dejuria multa, cachinnos,
spurcoque obscaenos edidit ore sales.
Origa dixisses celebrari : uno omnium in ore
nescio quae Thymele, quis Gelasinus erat.
Percitus his monstris praetor Salodorius : "Istum
ecqua Minerva, inquit, posset amare chorum ?
Este viri ; ad coeptas juvat addere plectra choreas,
pectineque armatae colla fricare lyrae.
Palma corymbifero non delectatur Iaccho,
Idaliae non est laurus amica deae.
Et citharam et cantum sine more modoque, secundi
rarius aut nusquam vidimus esse toni.
Este viri ; ad laudes urbis Salodoriae avitas,
ferre potest titulos, lux hodierna, novos.
Ritu igitur patrio ; precibus super aethera missis,
transimus medios, non procul arce, rubos ;
atque cohortem inibi, nullum superesse periclum,
nulla instare sibi tela vel arma, ratam
magnanimi aggredimur ; bellique ardoribus illic
introitum primum, prima theatra damus."

Exoritur subitus per proxima castra tumultus,
castra bipenniferis terrificata viris.
Arma repente omnes, omnes sua tela ; movetque
Fuerstenbergiacum, concita fama, ducem,
ille exorta suas ratus inter, jurgia, turmas
(quod pernoctato plebs solet uda mero)
dum jubet alternas turbae compescere rixas,
Helvetia emissos audit adesse viros ;
seque iterum hortanti, nec tu persuaseris, inquit,
Tot pluere Helvetios, quot pluit Hybla favos.
"Ponite sollicita conceptos mente timores :
Helveta, quae praesto est, turbula, ludus erit.
Esse hodie solem, plebs haec Saloduria, durum,
Et sibi non faciles sentiet esse deos."
Sic ait : "At nostrum tanto instat alacrius agmen,
quanto majorem cernit in hoste metum.
Proelii in ambiguo dum sic fervescimus aestu,
suppetias praesto cernimus esse novas."
Obtulit insignes Thuregum ac Berna cohortes
utraque praeclaris urbs decorata viris,
pugna repente acris, Mars sudat et impete facto,
improvisa omnis proelia campus habet.
Hostis enim Helvetico simul ac reboantia pulsu,
tympana, et ignivomas sentit adesse pilas ?
Cogit et ipse suos instare, ferire maniplos,
et cita depositis sumere tela jocis.
Balnea rumpuntur, Birsae dimittitur amnis,
clauduntur ludi, Sardanapale, tui :
pro volitante toga capitur lorica ; lacertos
purpura quos texit, jam cataphracta tegit.
Fervet Caesareus, ceu fax Trinacria, miles,
audacem nimius dum jubet esse metus.
Ipse adeo summus belli coryphaeus inermes
armat, et heroo roborat ore manus :
atque memor generis, ceu rerum in culmine princeps,
et stare, et fortes praecipit esse duces ;
praecipit exiguam, Germano robore, pubem
trans Jurasseas, raptim agitare, plagas.
Helveta Teutonicae confertur dextera dextrae,
et replet ista cavas illico, et illa scrobes.
Dumque alter renuit, dumque alter, cedere, nescit.
Dumque acuit vires coetus uterque suas ;
fluctuat ambigua Mars et victoria libra,
et manet in neutro, laurea prima, loco.
Uberior numerus pro Caesaris agmine, virtus
vivida pro nobis, ac Themis ipsa, stetit
inde quidem intonsi famam meruere Sicambri,
atque e Sequanicis advena miles agris.
Verum ut Burgundi, sic tandem e pulvere Geldri
cessere, aut tonsis procubuere comis.
Fervore in medio, cum jam Bellona per omnes,
funera sparsisset sanguinolenta, vias :
Tugii, et armisonae, pariter vexilla, Lucernae.
Cum bis sexcentis, emicuere, viris.
Opportuna acies, validi quae turbinis instar,
impulsi a flabris, penniger Eure, tuis,

e nemore erumpens ac tela acerrima vibrans,
in dubio egregiam Marte profudit opem.
Illa quidem nostram quaerensque sequensque phalangem,
ut pugnae primas posset obire vices,
audiit e profuga, quae forte erat obvia, turba,
extuleratque vagos e statione pedes ;
audiit, invita procedere bella Minerva,
pugnare adversis agmina nostra Diis.
Dum contra stimulum calces illidere, dumque
gibbosam tentat musca vorare feram,
haeret in extremis plebecula nostra periclis,
tota fere interiit, tota caterva ruit.
Sic fugitiva lues. Laesit vecordia missos
urbe e Tugina Luceriaque duces :
atque, "O Thersites, spuriaeque ingloria faecis.
Nomina, feralem scandere digna trabem ;
siccine ab incoepto vos ultro abscedere bello ?
Sic in femineam degenerare fugam ?
Par erat in media vel strenue obisse palaestra,
lauro victrices vel redimisse comas.
Vertite terga citi : nobiscum stare, vel inter
Martia nobiscum, vos decet, arma mori.
Pergimus ad fratres ; ibi junctis viribus, hostis.
Agmina vel cedent ; vel labefacta cadent."
Progressi, spoliis inhiantem forte cohortem
(Bernatum fuerant e dicione) vident ;
censentesque hostem, quia tessera nulla, ducentos
(cum nemo Helvetios crederet esse) necant,
inde per acclivem pariter descendere collem,
improvisa novis classica flare tubis ;
tollere terrifico clangorem ad sidera cornu,
obvia telifera quaeque ferire manu ;
subsidium hinc sociis ; stragem inde, metumque, fugamque,
funeraque adversis accumulare globis.
Fortior evasit virtus unita, feroque
paulatim mites, de grege, fecit oves.
Scilicet ut laesus crabronum ab acumine Taurus,
indignabunda spicula fronte gerens,
torvus in objectum violentis cornibus hostem
irruit, ac nullam fertve, timetve feram.
Sic ubi non casso gens Martia vapulat ictu,
irae majores vibrat et ipsa faces.
Ergo fere quintam cum jam durasset in horam,
funeribusque omnem, pugna, replesset humum ;
cumque inter reliquos, Lachesis falcata, strategos
(jam pertaesa suam perdita larva colum)
luminis expertes pariter traxisset ad umbras,
castra inter, primum, Caesariana, ducem,
Henricum comitem de Fuerstenbergia, avitas
quem genus et virtus extulit, inter opes.
Territa nobilitas et cladi turba superstes,
ad meliora cita currit asyla fuga
nam quasi pestiferos fugeret, jam morsa, colubros,
exsilit abjectis, plena timore, sagis ;
exsilit ac propere superato flumine Birsae,
praecurrit foetas, aufugiendo, tigres ;

et tremit, et torto balearis verbere fundae
ocius, Alsatici compita verrit agri.
Nos cauti insequimur, multosque sequendo ferimus,
nec quaesita ullus praestat asyla locus.
Tandem ubi veloces cursu praeverrere lyncas
cernimus, effugium digrediendo damus.
Fama frequens ierat (nec rexit hyperbole euntem)
conspexisse parem proelia nulla fugam,
pars rata terribiles a tergo instare bipennes,
ut monstra effugiat, mota pavore, volat.
Pars properando suis semet suffocat in armis,
pars ultra patrios, nescia, currit agros.
Plurima cui solitam negat aeger anhelitus auram,
spiritum ubi ulterius ducere nescit, obit.
Ergo, ubi jam spissae cecidere e montibus umbrae,
ad pia sublimes tendimus astra manus.
Et Domino, qui bella terit, cui laurea servit,
offerimus flexo vota precesque genu.
Castraque rimantes, tentoria cernimus inter,
hei quam magnificas, Caesariana, dapes !
Mens erat Assyrio noctem traducere luxu,
Martique Alsaticis sacrificare cadis.
Thyrsigero conjuncta Ceres spondebat opimum.
Annona in castris luxuriante, penum.
Jam cortem, et gallos verubus sudare spadones,
Phasideque emissas, Archimagirus, aves,
jamque Syracosiam praecipit ponere cenam.
Qualibet accitis e regione cibis.
Cena sed, o fauces quantum haec elusit hiantes,
fercla ubi convivas non habuere suos !
Imo habuere suos Sybaritica fercula dentes,
lautia Suiceram tollere digna famem.
Nos quippe imjpransos incenatosque cibarunt
cena, insperati, tam locuplete, coqui.
Coepimus ergo alacres aliena vivere quadra.
Et non praevisas condere ventre dapes.
Atque epulas cessisse parum est ; cessere covini,
atque advectarum copia grandis opum.
Innumeri alipedes, gravis armatura, supellex
bellica, cum multo glans numerosa nitro ;
ac pretiosarum quicquid tentoria rerum.
Illustres quicquid cari habuere duces.
Pro labaris certamen erat : decorare studebat
vexillo intrepidam, dux sibi quisque, volam.
Irruit ergo frequens pulchris fruitura tropaeis,
in vexilliferas, Helveta dextra manus ;
nec requiem cepit, donec septena duobus
suppara cum labaris, Teutone ab hoste, tulit.
Inde brevi, invictis retulit quod quisque lacertis,
inferet in patriam victor ovansque suam.
Auxerat obtentas merx tormentaria praedas,
et portentosos plaustra onerata tubos.
Plus vicena suis stabant tormenta quadrigis
aenea, terrificas fauce professa minas :
una tamen cunctam tulit Ensishemica palmam
machina, balistam non habitura parem :

339 monstrum immane, ingens, tot suetum evertere turres,
340 fundo aequare domos, quot vomit ore globos.
341 Hostica sanguineos texere cadavera campos,
342 millia fatalem terna obiere diem.
343 Atque ibi fumosas Martis violentia ceras,
344 sanguineque illustres traxit ad antra viros.
345 Centuria e nostris exstincta est unica : durat
346 nunc in purpureis, turba superstes, agris.
347 Durat, ut, ultrices renovent si bella cohortes,
348 praesto habeant, quicum tela vibrare queant.
349 Postera declivem cum necdum habuisset Olympum,
350 hac lauro, hoc spolio nobilitata, dies ;
351 Uraniorum alacres, Silvanorumque cohortes,
352 ac generosorum nomina Suitiadum,
353 cumque Friburgiaco vexilla illustria coetu,
354 junctim e vicinis prosiliere jugis.
355 Prosiliere alacres. At postquam innotuit, hostem
356 vel nece, vel rapida disperiisse fuga ;
357 indoluere, suas nequicquam acuisse secures.
358 Pugnaeque optatum non superesse locum.
359 Pluris enim egregiae, victoria tanta, catervae,
360 concertare simul si potuisset, erat.
361 Juncta tamen virtus tragicam si intrasset arenam,
362 intrasset patrios, ecquis ab hoste, lares ?
363 Interea grandem Dornecka elusit hiatum,
364 Dum peperit spinas, credita ferre rosas.

# HEROUM HELVETIORUM EPISTOLAE. LIBER TERTIUS.

## DE HELVETIAE MISCELLANEIS.

### DE URBIS SALODORANAE OBSIDIO.

H3_01 v.1 Cede Deo princeps, contraria omitte Minerva
2 in Salodori unum, vertere tela, sinum.
3 Niteris iratas nequicquam illidere calces
4 in stimulos magni, Dux generose, Dei.
5 Caelica ni pressam custodia protegat urbem,
6 excubiarum omnes stant sine fruge vices.
7 Dia lacessitam si dextera fulciat urbem,
8 fulmina si jacias plurima, bruta jacis.
9 Ille exercituum rex atque corona, protervo
10 depopulabundas ridet in hoste manus ;
11 ridet Achillea fretos virtute lacertos,
12 et Briaree tuas seditiose minas.
13 Ingenium, stimulus, sapientia, machina, virtus,
14 plurimum, ubi Domini flaverit aura, valent,

consilium, ratio, robur, prudentia, nervus,
   ni conspirarit Numinis aura, jacent.
Excitus ista tuo posses agnoscere damno,
   consilii infidam ni sequerere fidem.
Dum Salodoranos coepisti incessere muros.
   Jam decies septem praeteriere dies.
Praeteriere dies, quin et Leopolde labores,
   suscepti invitis, praeteriere, diis.
Sors tibi successus si concessisset amicos.
   Fluxissent placito si tua vela Noto.
Urbs nostra, Iliaci muris aequaeva Quirini,
   incustodito jam foret aequa solo.
Obsidio vallos, acies acerrima cives.
   Turbavere omnem tela inimica larem.
Stat tamen incolumis Trevirorum haec aemula Turris,
   stant instar firmae, moenia salva, petrae.
Absit ut hoc nostris animi tumor arroget armis ;
   Numinis est purum cunctipotentis opus.
Nonne vides fauces ut ludificarit hiantes ?
   Fecerit ut nihili coepta superba, Deus ?
Ingeniosa novum struxit tibi fabrica pontem,
   tutius obsesso quo potiare loco.
Arula sed subitos crescensque furensque per imbres,
   pontem aciemque suis, turbidus, hausit aquis.
Turba tibi irata quam multa perisset in unda
   urbs nisi maturam nostra tulisset opem ?
Urbs tibi nostra suam quamquam minitantibus armis
   undique pressa foret, suppeditabat opem.
Hostiles cuneos (qui fluminis impete raptos,
   vix tuiti fuerant a Phlegethonte, pedes)
traximus e mediis, conscensa nave procellis,
   arulaque exstinctis fluctibus, ara fuit.
Vix a jurato sperare licebat amico,
   praestitit obsessi quod tibi cura loci.
Praesidium si nosse cupis ; sunt civica nobis
   pectora, in undenas dinumerata Tribus :
Sunt quadringenti, quos Ursa heroica Berna,
   (mutua ne lateat foederis arra) dedit.
Parva quidem series, si armatae principis alae.
   Spectentur numeri si, Leopolde, tui :
parva sed unitis stat constantissima nervis,
   prompta per armiferas, qualibet ire, manus.
Exigui numero, sed aperta Martis arena,
   ut crepuit lituus, vivida turba sumus.
Praecipuum sed enim quis in isthoc pulvere pilum,
   aut quis in excubiis nomina prima gerat ;
ipsa tibi claris monstrarunt sidera signis,
   sidera Cretensem non habitura fidem.
Intimus ille tuae, solersque notarius aulae,
   qui vigili totum lumine versat opus ;
ille tibi primos, caelo assignante, Camillos,
   ille potest nostros insinuare duces.
Insinuare potest ; fidoque haec nuper ab ore
   dum tibi signa dedit, non tibi verba dedit.
Rem paucis repeto. Tuus ille fidelis Achates,
   ut posset summae certior esse rei,

saepius obsessam, sed cautus, obiverat urbem.
Cum vaga nocturnis luna niteret equis,
ibat, ut excubias vafer exploraret, et omnem
circumvallata nosset in urbe statum.
Audiit egregio munitos milite muros,
principis infestas nil metuente minas.
Audiit Helvetico crepitantia tympana ritu,
atque irritantes Martia corda tubas.
Pervigil insomnes tenuit custodia cives,
inque alacri trepidus non fuit urbe metus.
Cum conjurata Salodorum scilicet Ursa,
Marte flagrante, omnem dedidicere metum.
Viderat heroum generosam hic ipse phalangem,
rite observatas urbis, obire, vias.
Prodigiosa cohors. Cataphracti corpore toto,
splendebant radio nobiliore, viri ;
excubiasque simul telluris et urbis agentes,
obsidio cincto circumiere lares.
Circumiere omnem signis radiantibus urbem,
crista inter tremulas luxuriante comas.
Terribilem visu referebat quisque nitorem,
quantus ab humanae non micat igne genae,
attoniti sic ante oculos, atque ora Suevi,
omnia vel terror vel grave fulgur erant.
Unus in hac serie, gravitate heroica et armis
cultior, ac primum visus habere gradum,
majestate omnem tulit excellente triumphum,
tantus erat frontis, tantus et oris, honos,
clarior humana radiaverat indole vultus,
formaque caelestis plena nitoris erat.
Fulserat ignivoma, cataphracta argentea, flamma,
per gyrum insolitas ejaculata faces.
Thoracem, ac medium Crux ambiit inclita pectus,
candore hibernas visa praeire nives.
Haec Indi gemmis et puro clarior auro,
splenduit Eoae non minus igne rotae.
Celsior ipse heros reliquisque augustior, omnem
pro patriae subiit prosperitate vicem.
Magnanimam prior ipse aciem ducebat ; ab uno
dependebat ibi tota caterva viro.
Cuncta adeo explorans, Saldori in moenibus altis
visus erat vigilem constituisse pharon.
Ista quidem nocturna tui sunt visa, Notari.
Inscribi cedrinis visio digna notis.
Ter, generose heros, validis qui nomen ab armis
et decus a claro quaeris habesque sago ;
desine Symmistam hunc, tam lucida signa profatum,
dicere de volita proditione reum.
Quae tibi, quaeque tuo sunt demonstrata ministro,
parce in noctivagas visa referre striges.
Audisti factum ; cape nunc mysterium et almo,
si dubitas oculis credere, crede Deo.
Nobilis illa cohors, et prodigiosa virorum
copia, conspectis tam peregrina stolis,
quae supra humanum rutilansque micansque tenorem,
illustri tantas evibrat ore faces ;

cui cataphracta ambit fortes nitidissima lumbos,
pectore quae niveam fert radiante crucem ;
quae velut e specula totam circumspicit urbem,
ut Salodorenses servet ab hoste focos.
Non sunt mortales, terrestri ex ordine, cives.
Quos videt illa dies vivere, et ista mori :
agmina siderei sunt invictissima regni,
jam pridem Elysiis associata choris.
Thebaea fortes sunt e legione sodales,
in patriae vigiles emolumenta Patres.
Ausonio quondam gens serviit ista tyranno,
horrida cum in Francas duceret, arma, plagas.
Serviit Imperio : septemplicis ostia Nili,
et Pelusiaci pinguia regna soli,
atque adeo patrias, spreta Mareotide, sedes
deseruit, Latium rite secuta ducem.
Olim, inquam, Imperio ; nunc nobiliore corona,
Imperii domino, servit amicta, Deo.
Celsior ille heros, qui Majestatis et oris
supremum meruit nobilitare gradum,
militiae primus reputatur jure tribunus,
jure inter socios fert diadema suos
tutelaris hic est patriae, fortissimus : Ursus,
gloria Thebaeos inter, honosque, duces.
Protegit ille suam curis ingentibus urbem
Martia belligeros dum ciet Hydra globos,
tutatur pressos, ceu turris ahenea, cives,
queis exoratam Numinis addit opem.
Ad triginta ipsos agitur millesimus annus,
si lubet elapsos enumerare dies :
cum sacer ille Ursus, Phariis qui duxit ab arvis
undecies senos, in legione, viros,
numinis effundens roseum pro lege cruorem,
egregie hanc nostram nobilitavit humum.
Nobilitavit humum non solo sanguine ; totum
Lipsana nobilitant hic tumulata solum.
Maximianus enim domiturus milite Celtas,
fracturusque novo Gallica regna jugo,
jusserat, ut legio peregrina e Mempheos ora,
lecta in Thebaeis, castra juvaret, agris.
Lecta fuit legio, comitataque Caesaris alas,
sectata est Jovios, Herculeosque duces.
Juverat Imperium, sed ad aras : credita natis
Alcena et Maia, non fuit ara, diis.
Caesar ad obsessi fines, dum mandat, Agauni,
impia Tarpeio tura litare Jovi :
turba colens veri, nomenque fidemque Tonantis,
unanimi infamem dejerat ore Jovem.
Abrogat invisam, pro cultu Hermetis, acerram,
dedignans flexo numina muta genu.
Tura decent Dominum, qui torquet Numine caelum,
qui Styga, qui terras, qui moderatur aquas.
Sacrilegos, quos terra amens, quos Caesar adorat,
dignamur jusso nuspiam honore, deos,
dixit Thebaeus : tonat ergo repente, furitque,
et fremit insani more, tyrannus, apri.

Bassaridumque fero, Thyadumque agitatus ab oestro,
invocat anguicomas, ore minace, deas ;
iraeque impariens, legionem invadit ; et acri
plectere mox decimum praecipit ense virum.
Procubuere alacres. Mauritius ipse secandum
obtulit, ingenti strenuitate, caput.
Pertulit enormem legio fortissima stragem,
quique mori optarant, Victor et Ursus erant.
Illi, ut dilato Salodoria tecta subirent
martyrio, arcanis edidicere notis.
Nutu igitur Superum, turritam Solis ad Urbem,
undecies seni dum coiere viri ;
ordinis electi coryphaeus et arbiter Ursus,
jam pridem diae fonte renatus aquae,
ludicra fictilium spernens simulacra deorum,
Helveta salvificam spargit in arva fidem ;
liberiore unum profitetur pectore Christum,
numina turicremis privat ahena sacris ;
ac veterana inter Salodori moenia, primam
in vera statuit relligione basin.
Verum ubi Caesareas nequicquam praedicat iras
Hyrtacus, insanis plenus agyrta minis :
egregiam Thebaea refert constantia palmam,
nec flamma gladii, nec tremefacta rogi.
Magnanimi, praeeunte Urso, cecidere tribuni,
carnifici promptum subjiciendo caput.
Ille ut barbarico penetrarat guttura ferro,
mergere Lethaeis cuncta parabat aquis.
Cervices sacras, et corpora trunca jubetur
arulae in infernos praecipitare sinus :
sorbeat uda Thetis, queis Mulciber igneus ante
noluit accenso claudere fata rogo."
Sic ait, inque vagos dum projicit omnia fluctus,
quod ratus est barathrum, conspicit esse vadum.
Nam ratio succrevit aquae. Sentina Tyranni
ferre ubi Thebaeos noluit, unda tulit.
Ordine quam miro cervicem quisque resectam
suscipit, inque ipsis fert, quasi vivus, aquis !
Attonita quam pulchre acies spatiatur in unda !
Quam scite liquidas calcat in amne vias !
Ense necate cohors, ac leti victima, quinam
in mutilo tantum corpore robur habet ?
Supplicat, atque oculis caeli convexa tuetur
rhomphaea avulsum, qua ratione, caput ?
Fluminis ad ripam, statuens sibi quisque sepulchrum,
flectit ad effusas quam pia genua preces !
Turba preces fudit semi-ipsam intenta per horam,
caelo, hei, quam gratas fuderit ipsa preces,
dicere deposito potuerunt corpore. Terrae,
quae dedit hic requiem, praebeat axis opem.
Cuncta adeo humanas opera excedentia vires,
quid nisi in auctorem sunt referenda Deum ?
Urus hic, et victor coryphaeo primus ab Urso,
turbaque quae nostram sanguine tinxit humum.
Corporis exuviis patriam dum purpurat urbem,
jure etiam patrios servat ab hoste lares.

Excubiae, vigiles, loricae, baltea, cristae,
armorum series, lux, cataphracta, cruces,
clarior humanis spectata corona figuris,
visio Thebaei sunt manifesta chori.
Ursus, et Ursi acies, praeclaro munere Divum,
in Salodorensi procubuere solo.
Ursus et Ursi acies, dum fulminat hostis in urbem,
pro Salodoranis stantque flagrantque focis.
Congere belligeras, numero quocumque, phalanges,
tutante hoc Urso moenia, pulvis erunt.
Pannoniae vires, ipsumque accerse Gradivum ;
junge lacertosis agmina Sueva Quadis ;
experiere isthac raros ex urbe triumphos,
Ursus ubi excubias, castra ubi Victor habet.
Dextera si quassam, Domini, custodiat urbem,
mittimus in rapidos irrita tela Notos.
Ergo agedum, o princeps, alto qui a sanguine regum
nactus es, ingenti nobilitate, genus.
Si Salodoranis mens est succedere tectis,
atria si tutum figere in ista pedem,
Austriaci primum Labari praemittito signum,
sic poteris pandas urbis inire vias,
junge tibi comites, sacramque evectus ad Aedem,
grata offer Superis munera, grata Deo.
Laetior inde tuos, graviorque revise Suevos,
signa tamen memori visa reconde sinu.
Terrarum varias varius decor evehat urbes ;
haec scutum nivei syrmate pingat equi.
Aureus hinc aries gemino sua moenia cornu
protegat : immanis fulguret inde tigris.
Taurum alia, aut colubrum, caprumve, aquilamve bifrontem
aut humero alatam, jactet, utroque Leam :
cuique suae gazae, sua, sint insignia ; nobis
supplet abunde omnes palmifer Ursus opes.

## DE FOEDERE AUSTRIACO, SIVE HAEREDITARIO.

H3_02

Siste, Gradive, pedem, lituosque et bellica ab alto
fige tropaea tholo. Pax jucundissima rerum,
dulcor amorque hominum, quae tanto tempore salsos
haesit apud Gyaros, jam serta virentis olivae
explicat, et nostras optata revertit in oras.
Austria Martipotens, Alemannae gloria terrae,
et basis Imperii, compluribus hactenus annis
plus satis infesto, nobiscum exercita, bello,
hostiles furias, bacchataque atrocius, arma
dejerat, ac stabilem poscit, cum foedere, pacem.
Rara salus bello, lauro licet ubere, et auro
Helvetiam, spoliisque simul ditarit opimis,
rara salus bello est : ferit oppida, diruit urbes,
state vetat Cererem, laetum populatur Iacchum,
sternit humi, fundoque simul fortissima adaequat
moenia, Torquatos eviscerat, enecat Iros ;

vana perinde sacris, et sacra perinde profanis
miscet, et Elicii plus pisa Vejovis ira
fulminat, afflicti pestis deterrima mundi.
Terrigenis, Pax, dulce bonum, pulcherrima caeli
filia (quae Cereri, quae pabula grata Lyaeo
porrigit, et blando complectitur omnia nexu)
sex centis merito venit anteferenda triumphis.
Belli elementa ruant, quando inclinantibus astris
excubat ad patrios, pax et concordia, postes,
ille monarcha potens, aequo moderamine Francum
qui regit imperium : quem virtus Helveta nuper
terruit, ingentes cum armatae Galliae acervos
Rauriacas, trepidante solo, duxisset in oras :
"Ille, inquam, Helvetiae rex Ludovicus amicam
ferre paratus opem, cura septemplice dudum
discordes animos, et longi taedia belli
nititur a nostris, satagitque avertere tectis,
ille decor regum, cujus prudentia caelos
volvit, et omnigeni penetrat mysteria mundi,
foedere perpetuo nobis celeberrimam adunat
Austriam, et a tanta venturos stirpe Monarchas.
Ille Sigismundi consensum principis, ille
Austriacae jam pacta domus, mentemque fidemque
obtinuit, studiisque animi sollertibus, omnem
pro tam magnifico stabilivit foedere normam
nos modo consilium ni detrectamus amicum,
Austria perpetuo nobiscum foedere juncta est.
Illa augusta domus, quae nomina Caesarum avito
explicat e solio, quae tamquam uberrima mater
imperio fortes hoc tempore praebet Atlantes,
Teutoniaeque duces, illa omnibus obruta gazis,
omnibus aetheriae donisque bonisque Pronaeae
Austria, Suiceris jam aeterno foedere nexa,
dissidii insanos permutat amore tumultus.
Hei, quantum famae, quantumque parate decoris,
per tam praecipites, effuso sanguine, dextras
utraque gens poterat ! Quantos captare triumphos,
jam bis vicenis bella haec exercita lustris !
Threicios penetrare sinus, terrere feroces
Sauromatum populos ; per Atlantidos arva Calypsus,
per Syrtes Libycas, gens haec unita, per ipsas
Eridani spumas extendere jura, sibique
subdere Parrhasii sedes potuisset Evandri.
Jam quoque si socias gens coeperit Helveta bello
Pannonas, unito poterunt proferre secures
robore, ad extremam, trans ponti caerula, Thulem.
Atque, immaturos ne quis praejudicet actus,
foederis hic tenor est. Ut coepta utrimque secundet
Numinis alma Trias ; divina petatur ab illo
gratia Principio : quod dirigit omnia solo,
per mare, per terras, per Tartara, et aethera, nutu,
quo sine nil validum, nihil est durabile, cujus
erigit humanas reprimitque, potentia, sortes.
Illius, ut fas est, augendo semper honori,
mutua belligerae coeant in foedera gentes,
Austrii et Helvetii : pars approbet utraque pacem ;

utraque livorem, bellique praeambula vitet
jurgia ; legitimum teneat concordia clavum.
Pristina sic facies rerumque hominumque, simulque
libera per tutas vigeant commercia terras.
Alterutram partem si rancor, et orta simultas
acrius irritent ; in apertam neutra feratur
Bellonae rabiem, stent coram judice causae,
dicaturque dies, adeat pars laesa tribunal,
urbibus a geminis, dabit aut Constantia pandum,
aut Basilea forum : sacram fovet utraque mitram,
utraque juris amans, Rhadamanthi praesidis urnam
porriget, et motam dirimet sine sanguine litem.
Bella Sigismundum si fors inopina fatigent
principem, ad Austriacae, quantum decet, aera crumenae,
natio Suitiadum sataget, de jure petitas
mittere suppetias ; et lecto milite laesum
proteget Archiducem : verum hic servetur honesti,
justitiaeque tenor. Nobis dabit ipse vicissim
auxiliatricem, si poscant tempora, dextram.
Praedia, rura, arces, pagi, castra, oppida et urbes,
et quicquid terrae, quicquid dicionis, et agri.
Hactenus Helveticae sibi subjecere secures.
Pareat Helvetiis. Sua quondam hic jura, resignat
Austria. Suitiadum rata sit possessio, et istas
pacifico, per saecla regant, moderamine, terras.
Instrumenta tamen, tabulaeque authenticae, ad usum
principis erectae (nostro quae nempe nec obsunt,
nec statui prosunt) dominis reddantur avitis.
Exteram et Austriaco natam sub Principe plebem
associare sibi tutela, foedere, tecto,
Aut numerare suos, aut inter scribere cives ;
Helvetii caveant, caveat Dux ipse vicissim
allicere Helvetios : salva nisi pace prioris
Principis aut Domini, veterem mutare tabernam
indigenae, atque alias malint inquirere sedes.
Hosti subsidium, tectumque, laremque, stipemque,
et cum securo victum praebere meatu,
foederis ordo vetat. Quocirca aut tendere dextram,
aut capere hospitio, victuve, penuve, manuve.
Aut quacumque alia demum ratione tueri
hostiles acies, et iisdem clamve palamve
mittere suppetias, quia res censuraque juris
publica non tolerat, nec foedera nostra probabunt.
Excitet armatos ne res insueta crabrones,
sollicitent neutram nova vectigalia gentem.
Nec tricae insolitae, portoria, feuda, tributa,
alterutri addictos onerentve, graventve colonos.
Praeteritum quaecumque tulit fastidia bellum
Austriae et Helvetiae, rancores, funera, luctus,
tamque graves irarum ignes, vitaeque charybdes,
in fumos abeant, submersave Nereus imo.
Occulat in barathro. Mutetur amore simultas,
dissidiique ommnes, tam turbido in aequore, tricas,
trans vehat Hesperiam veneranda amnestia Calpen.
Si vero exstinctos injuria quaelibet ignes
suscitat, in veterem concordia laesa furorem

ne rursum erumpat ; caveat pars quaeque calenti
addere ligna foco ; tollatur causa, peribit
ilicet effectus. Maesonica scommata, sannas,
et sine honore jocos, et non sine dente cavillos
utraque gens prohibe. Si quid fortuna propinquo
contulit Eugenio, stultus ne incessat Amyntas.
In parvis etiam solet indignatio dentes
addere et a salsis procedunt verbera verbis ;
verbera sopitum revocant ad tympana Martem ;
Mars acuit choleram, cholerae nec Mempheos alti
frena dabunt muri : Babylonem, Pergama, Thebas
sternit, et aerias, facto impete, perforat Alpes.
Hisce quidem pactis geret utraque natio morem ;
utraque consensum, falsi sine schemate fuci,
sponte suapte dabit. Contra haec (cum incerta teramus
saecula) foedifrago si quisquam impegerit actu,
ne rursum armisonae Marti laxentur habenae,
extra sanguineam conventio fiat arenam.
Atque ita propositas, talique tenore refertas,
ad Ludovici matura arbitria regis,
condidimus leges. His me praesente, nec ullam
pro Patriae fructu remoram patiente, sereno
annuit assensu, pace omni ac foedere dignus,
dignus et Euboici transcendere pulveris annos,
ipse Sigismundus ; fixasque, ratasque, probasque
censuit, ac firmas jubet annis esse futuris.
Quin ut legitimum sua servet pondera foedus,
Austriacam Dux ipse domum, gentemque, genusque,
et descensuros a tanta stirpe nepotes,
ut pacti socios, sic foederis esse tenaces,
egregio fervore, jubet. Sint foederis arrha,
tessera sint pacis, quos nostra exinde quotannis
spondet, et Helvetiis fixos dabit Austria nummos."
Dixit, et augusto rata reddidit omnia vultu.
"Foederis haec summa est, quam paucis hisce retextam
Henrico offerimus ; quem prudentissima rerum,
Palladis ac Martis vocat, experientia, pullum ;
quem Tigurina suos inter Respublica cernit
fulgere Patricios : et quae virtute refertos
evehit heroes, heroum ex ordine censo,
jure suo meritas impertiit Urbis habenas.
Pactarum interea lex atque decentia rerum
exigit, ut tanto memorati regis amori
Helveta perpetuas exsolvat natio grates.
Ipsius auspiciis, curaque ingente, sepulti
sunt animorum aestus ; jucunda pacis oliva
Marspiter, et foedum mutatur Foedere bellum.
Vivat, et optatos sua sceptra propaget in annos
ille decor regum, qui Lilia Franca potenti
protegit imperio, qui tanti foederis auctor,
arbiter et caput est, cujus virtute ministra,
Austrii et Helvetii socio sunt foedere nexi.
Vivat, et invictis quamquam sit prosper in armis,
par Laertiadi sit acumine mentis Ulyssi ;
hic tamen, o utinam, rex tantus et ipse, perennem
Austriaco posthac statuat cum sanguine pacem.

## DE PACE PERPETUA, ET FOEDERE GALLICO.

H3_03

Inter Aventini turres ac tecta Friburgi,
quod secat obliquis Sana recurvus aquis,
nuper ab excelsis repetita tonitrua pinnis,
unde ferunt ipsos contremuisse polos ;
et stridor lituum, clangorque canorque tubarum,
perque simul sparsus compita quaeque fragor,
jubilaque Ausonios, ac pompa imitata triumphos,
quique fere tota plausus in urbe fuit,
qualia portendant rerum mysteria, nostris
pacemne attulerint, an fera bella plagis ;
scire laborantem, modicae te pagina chartae
instruet, ad placitum pagina scripta tuum.
Gallia Francisco jam rege, et Achille, beata,
quae vires regni vix capit ipsa sui ;
Helveticos jam experta animos, experta secures,
et nimis infestas. Marte furente, manus,
pristina contendit renovari foedera, magno,
Francigenis quondam regibus icta, bono.
Jungere amicitias, Lethaea quaesiit unda
Bellonae ardentes exanimare faces.
Quaesiit Helvetios sibi reddere rursus amicos,
nesciit armatis quos superare globis.
Inde Friburgiacam legatio vecta per urbem,
exposuit pulchro regia sensa stylo.
"Regia sincerum contestabantur amorem,
plenaque multiplicis sensa favoris erant.
Martia parturiit stabilem discordia pacem,
digna magis celeri, pessima, prole parens.
Jussimus antiquas ad Caspia caerula rixas,
inque cavernosos Mempheos ire specus.
Mutuae amicitiae, quae terram, atque ipsa serenat
sidera, perpetuum jussimus esse locum,
foedera cum Francis quondam composta monarchis.
Fixa, implorato, jussimus esse, Deo."
Hinc fragor, hinc mixtus volitare per aethera plausus,
hinc dare nitrati murmura rauca globi.
Hinc nova laetitiam testari jubila ; pacem
salvere hinc lituis jussimus, inde tubis.
Inter Francigenas miraris, foedera reges
cum tam diverso pacta fuisse statu ?
Desine mirari. Sanctum et venerabile semper
audiit, electae nomen amicitiae.
Usus amicorum pretiosis nonne smaragdis
praevalet, et fulvas fert caput inter opes ?
Nonne tibi a fido vox siqua refertur amico,
suavior Orphea creditur esse lyra.
Ni virtus animae fuerit superaddita, corpus

quid nisi concretum dixeris esse lutum ?
Corpus es absque anima, si destituaris amico ;
si tibi Nisus erit, spiritus alter erit.
Dogmata quae toti quondam aurea protulit orbi
Graecia, divinis paene referta sophis,
vicinos quamquam non diceret esse petendos
Celtarum, populos, in regione, satos :
asserit illa tamen, verbisque fatetur Achivis
(quae dicas clariam promeruisse fidem)
Galliae amicitiam studiosius esse petendam,
prae mundi reliquis, asserit ipsa, plagis.
Nos, quia vicini tetigerunt Helveta Galli
limina, ab hinc ipsas Deucalionis aquas.
Ducti consiliis, ac fida oracla secuti,
in Pandionia non male docta schola :
condidimus pacem cum Franco Rege, fidemque
partibus unitis jussimus esse ratam.
Scire cupis leges, decisaque pacis amicae
pragmata ? Rem primis en tibi pando labris.
Interrupta diu Pax et Concordia, festos
restaurent, caelo propitiante, dies.
Debacchata diu lis et discordia, Erinnys
exilio mulctent conveniente suas.
Dissidiorum amplas, quas belli injuria telas
texuit, armigeri cornibus icta Dei,
jurgiaque, elapsos coxit quaecumque sub annos
in Phlegethonteo, livor et ira, foco ;
condat in abstruso trux ipse Trophonius antro,
gente sub hac nullum post habitura locum,
compescat veteres pax sic stabilita querelas,
et Zephyri, tragicos, leniat aura, Notos.
Alterutri si justa tamen querimonia parti,
cum necdum fureret Martia flamma, fuit :
Standum decretis, quae cum Cantonibus olim
condidit Helveticis rex Ludovicus, erit.
Capti in praeteritis, tractique ad vincula, tricis,
cujuscumque sient ordinis, atque tribus,
liberi, et absque ullo, remeent e carcere, lytro,
semitaque ad proprios detur amica lares.
Militum ab Helveticis si quisquam prodeat oris,
regia cui necdum fecerit arca satis,
debita proposita, poscat stipendia, praeda
ut poscit merito vivere quisque suo.
Municipes quoscumque suos res publica scripsit :
Helveta, civilem contribuendo gradum,
libertate rata, nullo adversante, fruantur,
adscribantque suis civica jura bonis ;
si tamen Helvetiae sint intra limitem, et isti
ni contradicant altera pacta, thesi.
Ut Mercatores et amantes lucra propolae
composita possint sic quoque pace frui :
libera Francigenum quondam indulgentia regum
quae motu Helvetiis liberiore dedit ;
integra, citra ullas vigeant, indulta, lituras ;
continuetque suam gratia facta viam.
Helvetiae sumptus in Gallia utraque profusos,

Franco - ubi - Suicerus miscuit arma furor ;
Regius exsolvet praesente numismate fiscus,
et suffecturas sumptibus addet opes.
Inter abundantes stomachanti sanguine Partes,
parturiat bellum ne recidiva novum ;
si refricet veterem gens illa vel ista favillam,
pronaque bellicrepas evomat ore minas ;
praesto sit assumptis Hermes caducifer alis,
placetque offensas aurea virga manus.
Qua gravis Oebaliae circumsonat ira Maleae,
effundant rabiem bilis et ira suam.
Alterius, pars neutra, hosti sit amica ; meatum,
tecta, larem, aut vescos det quoque neutra cibos
sed neque scripto ullus foveatur milite Princeps,
qui ferro alterutram turbat et igne plagam,
hostica quin imo sectantes castra, vocandos
et culpae et poenae dicimus esse reos.
Mutua ne causa pereant commercia, purae
sint imposturis insidiisque viae.
Quilibet alterius sit tutus in urbe, feratque
compita inoffensum, per sua quisque, pedem.
Nec Gallo - Helveticas, nova vectigalia, merces,
nec prius insuetum, quemque fatiget, onus.
Atque ut munificum gens praedicet Helveta regem,
neu paci reputet Punicam inesse fidem :
cantones tredecim, San - Galli principem et urbem,
quaeque Sedunensis oppida vallis habet ;
et Mullhusinos, et amantes foedera Rhatos
(membra sub Helvetico nobiliora statu)
annua non modicis recreabit Pensio nummis,
ordine per Francas distribuenda manus.
Nec petet Helvetios in apertam haec Pensio nassam
trudere, nec visci hic fiscus ad instar erit.
Nec vires minuet, nec ab isto pensilis hamo
patria, squamigeris quondam erit esca lupis.
Tessera pacis erunt haec regia dona, nec atram
pristina libertas contrahet inde notam.
Provisum satis est, ne libertatis honorem
fallat Arachneo, pensio Franca, dolo.
Panicus hic metus est. Labyrinthi evadere technas
docti, Theseo jam sumus absque glomo,
urbs Bellizonae, Vallis Madiana, Locarnum,
Luganique amplum, Mendrisiique solum,
juribus utantur, quibus olim est usa, fuisset
cum Mediolani subdita terra Duci.
Stat penes Helvetios, placitoque suopte valebunt
vel mutare istas, vel retinere plagas.
Nempe coronatum ter centum milia, regis,
non interposita suggeret arca, mora :
si pro Lugano, Madiana valle, Locarno,
nummorum oblatas patria malit opes.
Si vero Italicas dominari malit in arces,
uniat imperiis oppida dicta suis.
Istud amicitiae, pacisque perenne statutum,
decisum placidis, gente ab utraque, diis,
stabit, eritque ratum, Jurassus donec apricus,

Sequana ab Helveticis dividet arva jugis ;
dum Rhodani rapidus, spumanti vortice, gyrus
sese in Tyrrhenas exonerabit aquas
pace ita firmata, magnum pars utraque foedus,
post longas tandem composuere moras.
Idem utriusque tenor. Collimant omnia ad unum,
subscripta adjicias si quoque pacta, scopum.
Foederis intuitu, gens laesae illaesa studebit
auxiliatrices ferre repente manus.
Extera Francigeno quoties taratantara regno
cernet et hostiles, rex, inhiare greges ;
seu Trans - montanam, seu Cis - petat hostis arenam,
dummodo Francorum sub dicione sitam :
milia sena virum si rite petantur, habebit,
exquisitorum milia sena virum.
Parcior haud esto numerus. Si mittere plures
Consultum fuerit, copia major erit.
Decretum tamen est, si milia sedecim ab arvis,
Rex ipse Helveticis duxerit, esse satis.
Qualis hic et quantus - sit - cumque Exercitus, omnem
In Patriae ac Regni commoda junget opem.
Indole magnanimum stabit pro Rege leonum,
Nec trahet injussos e statione pedes.
Regis ad obsequium durabit, ut Helveta cautes,
Grandine compositi non subigenda nitri.
Serviet, ac patrio penetrabit acinace turbas,
Dum belli pandas viderit esse seras.
Olli regalis dabit aequa salaria census,
Ut primum e patriis perget ad arma focis,
Symbola quin etiam tribuetur cuique trimestris,
Bello ipso octavum non superante diem.
Hic ne divisas valeat quandoque cohortes
Perdere vel numerus, vel superare dolus,
Non nisi conjunctae coeant in proelia turmae,
Compositusque suos audiat ordo duces.
Viribus unitis sic virtus Helveta nervos
In quocumque dein exeret, hoste suos.
Militiae sit terra locus : nec Nerea sulcet
Helvetus, in salsum nec ferat arma fretum.
Saepe triumphali, terrestris adorea, lauro
vidit Suiceras emicuisse comas.
Durante emissas bello revocare phalanges,
nec ratio tolerat, nec decor ipse probat.
Intestina tamen, seu gentis nescio qualis
turbarint patrium, si quoque bella, solum :
publica res poterit secum retinere petitos,
vel peregre stantes mox revocare, viros
bellica quin etiam tormenta, agilesque sarissas,
et maturatam Gallia mittet opem.
In belli nervum, spatio quocumque trimestri,
viginti aureorum milia quinque dabit.
Si salis haec inter fuerit penuria, Francum
ocius emittet regia cura salem.
Aurea laurigeris si Pax veneranda capillis
intret Francigenas arma inhibendo plagas.
Celtica cumque suo si coeperit hoste pacisci,

gens etiam consors Helveta pacis erit,
Ut quoque regalem tellus haec nostra favorem
comprobet ; ac magnum ne quis inane putet,
altera succedent regalibus aera talentis ;
haec pacis peragent, foederis illa vicem.
Perpetuos pax ista quidem durabit in annos.
Optato o utinam, perfruitura bono !
Foedus erit fixum, donec sua stamina regi
cernemus triplices continuare deas ;
et solida perstabit adhuc trieteride, postquam
cunctis calcandam triverit ipse viam.
Siqua tamen fuerint aevo jam pacta priori,
servabunt vires foedera pacta suas.
Signatis etenim gens eximit utraque verbis
sedem Romanae, Pontificemque Petrae.
Eximitur Caesar, sacrique verenda potestas
Imperi, in Augusto non violanda throno.
Inde status alii, quos esse ac scribere amicos,
foedera jusserunt jam veterana, suos.
Jussimus imprimis (Graecos nos forte Sinones
ne quisquam in sera posteritate vocet)
jussimus Helvetii, validum servare vigorem,
Austriacos inter, foedera pacta, duces.
Haec meminisse satis. Sed quod tam nobile foedus
sanximus, allecti commoditate sumus.
Nonne sitibundi, Suiceri, sanguinis, hostes
circumdant nostras sole ab utroque plagas ?
Insidias nobis struit Auster, et Arctos ; et acres
bacchari hinc furias cernimus, inde minas.
Sic ergo affectis, generosa peritia belli,
mille lucra Helvetiis, mille tropaea dabit.
Floret ubique viris, et abundat terra colonis,
otia queis nullum sunt paritura lucrum.
Inter belligeros, poterit vel judice Phoebo,
aurea libertas tutior esse, viros.
Fortius instat Atlas, si caeli a pondere fesso
Alcides sociam non remoretur opem.
Dicere nemo ausit, cum imbelli foedera regno,
aut cum barbaricis, nos iniisse, Scythis.
Franca est, quam petimus, Superis gratissima tellus,
naturae egregiis nobilitata bonis :
messe ferax, mansueta viris, jucunda racemis,
grata et amica mero, blanda et amoena solo.
Nec torrens nimio, velut India decolor, aestu ;
algida Hyperboreo nec, velut Ursa, gelu.
Aura tepet, Zephyrosque fovet, mitisque Favoni
non nisi fecundos gratia, reddit agros.
Laeta ibi, pro sterili, florescit oliva, glabreto :
Pro fastiditis, aurea mala, rubis.
Jurares campos illuc migrasse Caystros,
fundique e Francis pura Falerna cadis.
Tabifico nusquam tellus est languida caelo,
Thessala nusquam ullus fert aconita locus.
Tristia nec pariunt deserti absinthia campi,
ut solet in duris Pontica terra Getis.
Sed neque pestifero, velut arva Libyssa, veneno

272 pullulat ; Armenias nec capit illa feras ;
273 non erit, ut miles vel de salsugine terrae,
274 vel populi possit de feritate queri.
275 Optima temperies, ut terque quaterque beatum.
276 Sic amplectendum praedicat esse, solum.
277 Nec dubitant aliqui regnum hoc, et Balsamon orbis,
278 et mundi celebrem nominitare Rosam.
279 Una haec Euphrosynen, dabit omnem haec terra leporem,
280 Palladaque e gremio promet utramque suo.
281 Imbuet Helveticos simul arte ac Marte : vigorem
282 ubertim in summo callet utrumque gradu.
283 Haec quamquam Aegidius (patriis qui lucet in oris.
284 Jaspis ut Helveticas inter, Eoa, plagas,
285 cui Pimpla et Pindus, cui Castalis Attica, largo
286 Hippocreneas, imbre, profudit opes)
287 haec, inquam, Aegidius licet haud ignoret, ab isto
288 non aliena tamen sum ratus esse scopo.
289 Terrarum dominam si quondam haec Gallia Romam,
290 Oenotriae vastas si superare plagas :
291 si populos Asiae, si fortes quivit Iberos,
292 si Macedum Franco subdere regna jugo :
293 Unita Helveticis, ac foedere juncta, lacertis
294 (soli etiam invictos qui domuere duces)
295 quam celebres olim sit portatura triumphos,
296 credere, qui gentem norit utramque, potest.

## DE MERITIS HELVETIAE AC GALLIAE IN ECCLESIAM ROMANAM.

H3_04 v.1 Magne parens, quem cura Deum, quem purpura patrum,
2 e Capitolini venerando colle Palati,
3 terrigenum condire gregem, Christique sequaces
4 pascere jussit Oves, sacrae cui tempora frontis
5 infula tergemina cingit redimita corona.
6 Quod tua Majestas trabeati tecta Quirini,
7 ac Vaticanae tam augusta palatia sedis
8 Helvetios intrasse videt, reverentia summo
9 debita Pontifici, candorque, fidesque, favorque,
10 juraque Tarpeiae faciunt assueta cathedrae.
11 E septemgeminis patriae Cantonibus isthuc,
12 ad septemgeminis decoratam montibus Urbem.
13 Per Lepontinas, legati accessimus, Alpes ;
14 perque lacus varios, perque amnes Arulae et Ursae
15 venimus optatas ad amoeni Tibridis undas.
16 Venimus Helveticae mandato ac nomine gentis,
17 ut tibi, Magne Parens, ad summi culmen honoris,
18 ad Petri claves, Urbisque arbitrium et Orbis,
19 ordine nobilium simul applaudente Quiritum
20 legitime evecto devoti pectoris arrham
21 terrarum domina, simul offerremus, in aula.
22 Helveticos apices, Appenninique recurvos
23 scandimus anfractus, claramque faventibus astris,
24 visimus Ausoniam (quod plebiscita, frequensque
25 in septemgeminis decrevit Curia pagis)

Ut ritu veteri, verosque imitando clientes,
Pontificum capiti, magno telluris Atlanti,
pastorique Orbis, Dominoque, Patrique perennem,
quod faciunt Tyrio fulgentes murice reges,
poplite submisso contestaremur amorem.
Nulla, beate Pater, nulla umquam oblivio nostris
eruet ex animis, quae quondam aetate parentum
Helveticis pagis ultro exhibuere priores
munera Pontifices ; seu libertatis avitae
confirmatus honos, seu nobilis ille galerus,
principibus sacras qui supplet in orbe Tiaras,
seu labaris spectata suis insignia, et alti
spectentur tituli : manet alta mente repostum
sedis Apostolicae studium, quae fontis ad instar
jugiter undantis, condito nectare plenos,
currere per patriae jussit viridaria, rivos.
Tu quoque, qui leges Divumque hominumque gubernas,
blanda cui pulchrum tribuit Clementia nomen,
tu tibi devotos, Antistes summe, Clientes,
optime Pastor Oves, Pater acceptissime Natos,
Pontificum solita non dedignabere cura.
Quae Latio quondam Saraceni militis atram
expulit illuviem, fractosque horrore Quirites,
obsidione, metu, rerumque vorace rapina
reddidit eximios : gratam jam paene labanti
quae tulit Italiae, pulso procul hoste, salutem.
Pristina stat patriae, stabitque interrita virtus
Teutonicas acies, et nostro cognita saeclo
proelia quae domuit, quaeque altae moenia Romae,
Caesariana suum cum effunderet ira calorem,
fortiter asseruit ; pro hac ipsa sede tuenda
fixa stat Helvetiis, stabitque acerrima virtus.
Nunc si cura tui, dulcissime Pastor, ovilis,
si tibi cura gregis, gratantes fronte serena
dignare Helvetios, gentemque Ecclesiae amicam,
tergeminae toties insignia sacra coronae
tutari solitam, perge his complectier ulnis,
queis tibi juratum studiose amplecteris Orbem.
Foederis Helvetici, quorum haec legatio, fidos
protege Cantones : et quod praestare suescit
maxima Tarpeiae majestas arcis, eosdem
tu quoque munifica Charitum perfunde sagina
jam mihi (quod tanti deposcant principis aures)
Attica si Alpestrem mulceret Suada Thaliam
si sapor ambrosius, Latiique medulla leporis,
manasse augusti qui fertur ab ore Quirini,
Ex Arolae potas condirent gurgite lymphas,
fas mihi, conceptam, foret hic, pertexere telam.
Plura etenim fandi tribuit contermina grandem
Gallia materiem, quae nunc feralibus armis
obruta, post decumas, quas sustinet aegra, procellas,
ipsa sui absimilis, veteremque exuta nitorem
fluctuat, ac miserae nimis est vicina ruinae.
Gallia pestifero jam paene absorpta barathro
te patiente, meum jubet hic protendere cursum,
subsidiumque petit : quod ni Romana ministrer

curia, et Ausonii prudens clementia Papae,
quomodo grassantem poterit compescere flammam ?
Christiadum toto celeberrimum in agmine regnum
Gallia, quae gratos tibi, sancta Ecclesia, flores
instar Paestani pulcherrima protulit, horti ;
nunc ubi bellivomae gustavit pocula Circes,
degener hirsutos, inamoeno pignore, sentes
parturit, et crebris patet, ut Gaetulia, monstris.
Aurem, igitur, Pater alme, dabis, si supplice voto,
si rudiore labro, Patrii decreta Senatus
eloquar, et Franco precer adjutoria regno.
Quod petimus, pax est : pacem deposcere Francis,
foedus amorque jubent. Vulcano urgente propinquus
si flagrat Ucalegon, paries si proximus ardet,
serio et ipsa suos curat vicinia postes.
Gallia si periit, fortuna salusque propinquae
occidit Helvetiae : tanti nam accita charybdis
imperii, amicitia nobis ac foedere juncti,
certa simul nostrae dabit incrementa ruinae.
Hactenus electo vicinos milite Gallos
fovimus, et grandi sedare incendia nisu
conati fuimus : generosum exercitum ab oris
duximus Helveticis ; alieno denique nostras
(sumptibus heu quantis !) Oneravimus aere crumenas.
Pro Regni auspiciis, pro Relligione tuenda,
pro sartis tectis, pro rege, arisque focisque,
in dubium tractae pro majestate coronae,
movimus una omnem, non segni Marte, rudentem :
ut vel belligeri compescere limina Jani,
vel paci optatas possemus pandere valvas.
Sed quia majores res tam petit ardua vires,
praesul Aventinus, Christique vicaria Roma,
tam male confusis cataplasma imponere rebus,
ac desolato poterit succurrere regno.
Consilium, fatoque hominis prudentia major,
et modus, et ratio, mundique Pronaea supremos
stipant Pontifices : vertendi cardinis aequas
Papa gerit claves, et quam solertia terrae
reddere non potis est, dabit unam haec Petra medelam.
Gallia (quod magnae non nescit gloria Romae,)
innumeros jam paene fuit reputata per annos,
Christiadum nervus, melioris dextera mundi,
robur Apostolicae, fulcrumque haud debile Petrae.
Donec compositas rexit Pax aurea gentes,
grande ornamentum. Si pulchro Ecclesiae in horto
effera fulmineas acuerunt bella secures,
nobile subsidium. Si fluctibus atque procellis
turgida, Petre, jam quassarunt aequora navem,
portus et hospitium. Latia si pulsus ab aula
Papa peregrinas exsul migravit ad oras,
a furiis tutum fuit incessanter asylum.
Jam mihi si veteres sermonem flectere in actus,
addere si flores roseo, mens esset, Hymetto,
Francigenum quam clara forent encomia regum !
Scit tua Majestas, quantis defuncta periclis
Gallia ; divinae pro culmine et arce Sionis,

quanta per Insubres, per et omnes Ausonis oras,
proelia pertulerit : tantosque exinde monarchas
quadrijugo quoties vectarit gloria curru.
Sacrilegos, terraeque simul, caeloque molestos,
una haec quam celebri domuit virtute Tyrannos !
Haec quoties profugos, saevique furore Gradivi
exilio intrusos, jamque hinc, jamque inde repulsos
fovit Pontifices ! Haec pompa aequante triumphum,
quam saepe exceptos, quantisque favoribus auctos
figere Liligera sedem praecepit in aula,
donec magnificis, bacchante Tyrannidis oestro,
profligato armis, comitatu ingente repostos
in Vaticana, vidisset Roma, cathedra !
Ecquis Aistulphos Desideriosque, feroque
nomine Luitprandos, Romani Antistitis acres
quondam mastiges, jam tecta superba Quiritum,
Pontificumque sacras ausos incessere claves
ense triumphavit ? Quis tam praesentibus armis,
tanta animi flamma, quanta horum purpura regum
perdomuit reliquam Lombardo e sanguine faecem ?
Constat Amorrheos, Athimosque ; inimicaque caelo
nomina, deletis ingenti funere Mauris ;
trans Libyae fines, et adustos solibus Afros,
Gallorum egregiis ejecta fuisse lacertis.
Dexteritate pari, tam perniciosa quis umquam
schismata ? Tot falsos in relligione prophetas
quis regum oppressit ? Quis tantis, obsecro, sectis,
tot fidei monstris immunem reddidit Orbem ?
Nosti, o magne Pater, nosti haec et pluria quondam,
grandi opera Francae patrata fuisse coronae.
Hic Martelle tuum ne desit Carole nomen,
contra hostes fidei, virtus quoque praestita, mandat.
Barbara gens Arabum, Mahometis prodroma pestis,
auspice Martello, memoratu perpete dignum
pertulit excidium. Saraceno sanguine Franci
immaduere agri : pugna unius una diei,
ter centena Arabum septuagintaque peremit
milia ; Francigenum sic rursus acinace regum.
Exspirasse feras Ecclesia vidit Erinnys.
Fallor, in immensi si quisquam cardine mundi
munera Apostolicae dedit uberiora cathedrae.
Si Spoletinas, quas vendicat Umbria, terras,
si pinguem Aemiliam, si puppibus Adriae amicam
visimus Anconam, si lumina candida mentis
vertimus ad reliquas Piceni nobilis urbes
manare a solis profitebimur omnia Francis,
insula Sardiniae, contermina Corsis, opimum
Trinacriae regnum, florensque Etruria, faustis
Gallorum auspiciis, nutuque manuque potentis
Caroli, ut Imperio, sic rerum pondere Magni,
suscepere, tuos Romana Ecclesia, fasces.
Liligeros certe, quos Gallia nobilis orbi
progenerat reges, non casso agnomine suescit
scribere primigenas, haec ipsa Ecclesia, natos.
Dicite Calixti, Paschales, atque Gelasi,
Urbani ac Stephani, Clementes, atque Anacleti,

dicite Gregorii, vosque o generosa Leones
nomina, ab augustis Gallorum regibus, olim
dimanasse omnem Papaeque Urbisque salutem.
Impetuosa etenim vesani murmura Ponti,
Ausoniae quoties insultavere carinae ;
cura vigil regum firmis considere transtris,
solvere vela jubens, terraque marique coactam
acceleravit opem : stridentes Tethyos iras
leniit, atque tuum placans, Neptune, tridentem.
Praecipites Austrique minas, Eurique furores,
e patria ascitis Zephyri compescuit alis,
donec ad optatum sua ferret carbasa portum.
Digna adeo poterit, sanctissime Praesul, haberi,
Gallia, quae toties, superatis Alpibus, almam
reddidit Hesperiae pacem, quae barbara mundi
monstra Europaeis generosa fugavit ab oris,
quae mundi dominam, Latio cum Antistite, gentem
reddidit antiquo, per mille pericla, vigori ;
quae dextram profugis, quae praesens semper asylum
praestitit exsulibus. Tantarum in turbine rerum,
digna, inquam, poterit celeberrima Gallia dici,
cui, stimulante tua, Pastorum o maxime, cura,
porrigat optatam caducifer Arcas olivam.
Julius ille tuae caput olim ac gloria Romae,
Urbis et Orbis apex, infando saepe relatu,
et jactabundis audebat spargere buccis :
Caesaris auspicio (praeter civilia Magni
proelia, terribilem quae glutivere cruorem)
amplius undecies hominum centena perisse
milia, Tartareas se praeside missa sub umbras.
Caesare digna quidem, sed vox indigna supremo
flamine. Tu melius, tu Clementissime Princeps,
a Cajo afflictam qui nunc dominaris in Urbem,
auspiciis Pax alma tuis, medicinaque belli,
Francorum eximio fuerit si reddita regno :
Quos titulos, proh quanta feres encomia ! Olympo,
heu, quam augusta tuas aequabit gloria laudes !
Amplius undecies hominum centena beabis
milia, quos belli vel cruda voraret orexis.
Vel Libitina cava, ferrove ignive peremptos,
conderet in fovea. Majorem Caesare laurum
orbe ab utroque feres : Clementi Gallia plures
conservata dabit, quam Cajo oppressa triumphos.
Marco Antonino, quem Augustum Roma Piumque
dixerat, aeternae vox haec fuit unica laudi :
malo equidem unius vitam defendere civis,
fulmineo quam mille hostes aut perdere ferro,
aut dare supplicio. Vox ac sententia summo
digna magistratu. Votum hoc, o Marce, perennem
si peperit jam tanta tibi per saecula famam :
Clementi Papae quantus gratabitur olim
terrarum applausus, si tot servaverit unus
inter Christiadas, animarum milia, cives !
Quare age, Magne Pater, quem cura salusque regendi
jure trahit saecli ; ne schismatis orgia in illo
bacchentur regno, quod florentissima semper

lilia, et ambrosios orbi produxit odores ;
quod celebri fama, quod relligione suorum
ac studiis regum viginti trina subegit
schismata. Ne tragicis dum Gallia scinditur armis,
exanimet scissura Fidem ; ne sacra Tonanti
dum sese assiduis enervant regna duellis,
intumeant lunatae acies, nostraque ruina
fortior, Odrysius prorumpat in arma Tyrannus ;
utere jure tuo, vagina condere ferrum
impera, et indigno panaceam porrige tabo.
Sollicitis quod nostra rogat legatio votis,
Helvetus unanimi quod postulat ore Senatus,
Sume patrocinium turbatae Galliae, et auream
paci sterne viam. Si stabit Gallia, stamus :
si perit, occidimus ; curata Francia, et ipsos
curasti Helvetios. Exhausta aeraria, nummi
largiter est usi, legio generosa strategum,
copia clara ducum (patriis quae nuper ab oris
excita, dum validos pro sceptro et rege lacertos
exerit, ac magno propugnat Lilia sumptu)
pharmaca sollicitant curandis apta crumenis.
Ut Tibi (qui claro superans vel Lyncea visu
e Latia totum Specula circumspicis orbem)
esse queat liquidum, quod nos profitemur et ipsi,
verti etiam nostram praesenti in cardine causam.
Addere plura nefas. Tu maxime et optime Pastor,
si totidem caelo, quot Julius intulit Orco,
conserves animas : tibi pacis amator et auctor,
praemia Stelligera quam larga refundet ab aula !
Pontificum Princeps, ter maximus ille Sacerdos,
qui tibi, qui reliquis Tarpeii in sede locatis
pascere commissos, in Petro, praecipit agnos,
pascere mandat oves : e gazae divitis arca,
centuplici tantam pensabit munere curam.
Nos quoque, si florem, si fragrantissima regni,
a tam barbaricis, tuearis Lilia, spinis :
quam tibi sublimes utrimque seremus honores !
Gloria praeclari quam stabit vivida facti !
Tempora Pontificis placidam apportantis olivam,
unanimes in plebe preces, encomia, grates,
tergemina rursum satagent ornare corona.
Te Patriae verum super evehet aethera Patrem
Gallia, et ad sacras hecatomben offeret aras.
Imo de auratis argentea Lilia junctim
porriget e calathis. Plebs, Curia, Clerus, et ampli
nobilitas Regni, partam a Clemente salutem
inseret aeterno, patriis, adamante, tabellis.

## DE PRODIGIOSA VITA F. NICOLAI A FLUE, EREMITAE UNDER VALDENSIS.

H3_05

Vecta columbinis, ad stagna Acronia, pennis
   e Subsilvana, littera, tende plaga,
perque lacus patrios, per amoena, per hirta viarum,

extimum in Helvetico limite quaere lacum.
Quaere palatinas, positis anfractibus, aedes,
servantemque, pedum Pontificale, domum ;
sive Marisburgum, seu te Constantia captet.
Quaesitos pandet postis uterque lares,
magnus ibi princeps, et magni pastor ovilis,
protegit illustres cui sacra mitra comas,
qui sibi commissum, sit quamquam extentio juris
maxima, clementi pascit amore gregem ;
te quoque munifica non dedignabitur aula
virtuti haec clausas non habet aula fores.
Nobile virtutis portas insigne : benigno,
intuitu ejusdem, constituere loco.
Materies ut digna viro, sic digna relatu.
Debet nosse suam si quoque Pastor ovem
Nicoleos de Rupe hic est, quo sanctius uno
aetherii nobis nil tribuere Dii.
Quem natura sagax, quem mundus, Olympus, et Orcus
quondam inter patrios obstupuere rubos.
Cui gula, cui luxus, vasti cui gloria mundi
sive minus nihilo, sive fuere nihil.
Qui lustris quatuor, doctus mysteria caeli
desuper, humanum non tulit ore cibum.
Huic licet Arpinas, totusque applaudere Pindus,
et genus Ascraei debear omne chori ;
tu tamen Helveticae nata inter robora silvae,
Parnassi hanc ipsam fungere, Musa, vicem.
Tu patriae tam illustre jubar, cedroque perenni
jure inscribendum carmine pange virum.
Clara virensque suis terra Undervaldia pratis.
Almaque silvani Saxula vicus agri,
Nicoleo primas, felici sidere cunas,
atque adeo patriae tecta dedere domus.
Nec genus indecores habuit, sed origine claros,
saecula plus quatuor stirpe vigenti patres.
Ver erat, et placidi clementior aura Favoni
jam fragrante novum mulsit odore solum,
Phrixeusque Aries sua cornua protulit, almam
cum mira haec proles tangere coepit humum
prodigiis hic cuncta scatent. Infantulus usum,
clausus adhuc utero, jam rationis habet.
Editus in lucem, simul ac caeleste lavacrum,
et baptismalem vertice sumit aquam,
more novo geminos, cum Baptizante, Patrinos
noscit, et una ipsum cum genitrice, patrem,
in puero puerile nihil : speculi instar, in aevo
praetulit insignem, lubriciore, facem.
Ingenui mores, castique modestia vultus,
usque per impubes emicuere genas.
Nulla isthic levitas : referebat semper adultum
seu ratione virum, seu gravitate senem.
Usque adeo, ante alios, veri studiosus, ut ullos
mendaci nusquam sparserit ore logos.
Virtute obsequii (cui viva voce frequenter
sub luna nullam dixerat esse parem)
omnibus anteibat, monitis parere parentum

impiger, absque ulla suetus ubique mora.
Firmior ingenuis cum sensim adolesceret annis,
intulit exosae proelia prima gulae.
Feria sexta prius, mox illum et feria quarta
vidit concessis abstinuisse cibis ;
hisce diem Saturne tibi, tibi Cynthia sacrum
addidit, et solitas jussit ab esse dapes ;
prodiga quin etiam pertaesus prandia, Comum,
et Comi socios fugit ubique sales.
Atque adeo stomachi summa in certamina, dio,
praefixit talem, percitus igne, basin.
Turbae obtrectanti, cui tot jejunia, et artus
vivendi, nimium displicuere, modus,
pulchre dissimulans : "Sic suggerit Arbiter, inquit,
pmniparens, hominem qui replet, atque feram."
Majorum arbitriis (a quorum scilicet ore
flectere nec latum sueverat ipse pedem)
connubii socias, prae vita caelibe ; taedas
suscipit, et sacri fert quoque vincla jugi.
Sanctius hoc uno nil vidit terra marito,
nulla fuit casti noxa luesque tori.
Nam veterem vitae retinensque augensque rigorem,
conjugii coeptum fert sine labe statum.
Alter in alterius conspirat commoda conjux,
liber et ipse suo servit, et ipsa Deo,
hic et concubiam crebro interrumpere noctem
cernuus inque statas cogere genua preces,
virtutique omnem confertim impendere curam,
nulla inculpatum lite gravante torum.
Ipsa quidem conjux decimo, ceu vitis abundans,
pignore, Nicoleon fecerat esse patrem :
par proli sexus ; sed major cura parentum,
heredes caelo, quam genuisse solo,
consulis ad fasces per, plebiscita vocatus
liber ab oblato maluit esse gradu :
maluit ipse suos agitare inglorius annos,
ne mentem infidi verteret aura fori.
Forte altercantes agitabat curia lites,
ille suam causam dixerat, iste suam.
Judicis ambigua decisio stabat ab urna,
integer in votis jam Rhadamanthus erat.
Verum ubi, suscepto corruptus munere, judex
cogitat insontem voce vocare, reum.
Ignea nummivora surgens e fauce favilla
sensim sulphureas ejaculare faces,
Nicoleos solus tam horrendam cernere flammam,
e reliquis pyrios nemo videre globos.
Territus hoc monstro, jam ardentius astra tueri,
et prae mundano, caepit, amare, luto.
Conjugis ergo suae consensum inquirit ; eumdem
dat precibus cupidi sponte lubensque viri ;
consiliumque probat, sed iniqui livor Averni
mille viro insidias, retia mille parat.
Ipse sed insidiis, et toto fortior Orco,
subsidium quoties expetit, astra ferit.
Quinquaginta ipsos aetate expleverat annos,

cum vitae austeram laetus inire viam,
altera jam spreto cum indicere proelia mundo,
et nihili cunctas pendere coepit opes.
Abjiciens ergo veterem cum veste nitorem,
obtegit hirsuta corpus inane toga :
induit endromidem, levis armat scipio dextram,
et caput, et nudos praecipit esse pedes.
Hac pompa attonitis, sexus utriusque, propinquis
supremum blando personat ore "Vale",
divumque auspiciis commendans patriam, et omnem
cum consanguineis, conjuge, prole, larem,
impigra ad Alsaticas vestigia destinat oras,
verteret instabilis ne pia vela Notus.
Et mox Jurassi superato culmine, sentit
retrahi ad Helveticum se, quasi fune, solum.
Obsequitur, paretque Deo ; jamque humida noctis,
claudere Phoebeam coeperat, umbra, rotam ;
cum bonus in tenuem nutans Asceta soporem,
caelitus emissam cernit adesse facem,
perfundique suos, velut ictu fulminis, artus,
torserat unde gravis viscera tacta dolor.
Indoluere artus, sed post id temporis ullam
nec stomacho esuriem, nec tulit ore sitim.
Undervaldiacas exinde regressus ad Alpes,
introit abstrusam, qua via nulla, specum :
principiumque novae, lustra inter inhospita, vitae,
nulli hominum cupiens cognitus esse, facit.
Aula fuere vepres, salebrosum culcitra saxum,
languida qui lectus membra foveret, humus ;
alta larix aestus, Titane flagrante, diurnos,
et pluvias caeli praepediebat aquas.
Conscia caelestum, jugis meditatio, rerum,
unica jejuno fercla fuere viro.
Sic adeo impransus, sic incenatus adegit,
indelibatis viribus, octo dies.
Nam velut Hebraeos, lentes Babylonis, ephebos,
plus quam regales, quondam aluere, dapes ;
sic ipsum Assyria meliusque magisque sagina,
gratia divinae nutriit Ambrosiae.
Displicuit stygio res portentosa colubro,
nec poterat tanti ferre tropaea viri.
Ergo suos versare dolos, intendere casses,
mille nocendi artes, mille parare vias.
Clandestina prius tentantur bella ; jubetur
ultra naturam non catus esse suam.
Nimirum Angelico poteris, temerarie, ritu
annonae expertes semper habere dies ?
Desipit, humanum qui vult invertere cursum,
quique ultra metam non sapit, ille sapit.
Quid juvat Icario caelum affectare volatu ?
Ut gravis ascensus, sic quoque lapsus erit.
Sic quondam cecidit, qui Lunae ad concava vectus,
ducebat patrios non bene cautus equos.
Tu mage nosce hominem : peccas improvide, diam
consimili tentes si ratione manum.
Tartareus sic saepe quidem latrare molossus,

sic stygio tinctos spargere felle sales.
Quin et finitimi, patriaque domoque propinqui,
Nicoleo tales ingeminare strophas.
Ima namque specu quamcumque latere volentem
prodit, venantum sedula turba canum ;
admiransque hominem plebs Undervaldia, suadet
in sua, desertis, tecta redite, feris :
suadet, inhumano nec vitam abrumpere cursu,
nec Lachesis diras accelerare manus.
Atque ait : "Humanam tu eludere solus orexin ?
Nulli hominum tritam solus inire viam
utere concessis. Scelus est tentare Tonantem :
sis custos vitae, non homicida, tuae."
Respuit imbelles pugilis constantia tricas,
prosequiturque suum, quo pede coepit, opus.
Nec consanguineis animus, nec carne movetur ;
nec prece, nec vafris flectitur ipse dolis.
Sed nec aperta timet Satanae fastidia, suffert
terrorem, insultus, verbera, flagra, minas.
Jam speciem Libyci praesentat bestia monstri,
terrificatque omnem subdola larva specum ;
mox ululans totam, frendensque, fatigat eremum,
mentita Arcadicam, jam rudit, ore seram.
Jam coram aggreditur, tunditque, trahitque, feritque,
gyratque arreptis, per nemus omne, comis.
Durat magnanimo miles generosus in ausu,
et patiendo, omnem fertque domatque Stygem.
Ne tamen ipse suos, audiret, velle corymbos
citra imploratam, nectere solus, opem ;
intima susceptae placuit mysteria vitae
consilio docti tandem aperire viri.
Is fuit Osvaldus, divini semine verbi
jussus Kernensem pascere mysta gregem.
A puero exactos olli submissius annos,
propositumque animi significare sui,
et tot jejuno productos corpore menses,
et non infestam marcido in ore famem ;
hanc, superum nutu, se suscepisse ; paratum
hanc nutu superum, perpetuare viam.
Ne tamen extra omnem videatur vivere rhombum,
et majora suo quaerere velle statu ;
ejus ab arbitrio totum se stare, probatam
a pastore velut stare deceret ovem.
Territus, Angelicum mirari mysta tenorem.
Et toto, insolitum, corde stupere, virum.
Arbiter ergo rei, vultumque, oculosque manusque,
brachiaque et nudos rite probare pedes ;
collumque et cunctas scrutari in corpore fibras,
et cautam medici coepit obire vicem.
Pallidiora videt crispata corpora buxo,
et macie tostas extenuante genas.
Et nimis angusta contractos pelle lacertos.
Vixque cohaerentem, quae tegar ossa, cutem.
Et sine purpureo, gracilentum, sanguine, vultum ;
et sine carne manus, et sine carne pedes.
Chasmataque et fissas hinc inde dehiscere rimas,

prae nimia, in siccis, ariditate, labris.
Membra requisito caruere exsanguia succo,
formaque praesentis plurima mortis erat.
Nec tamen exsucco deerant in corpore vires,
membraque sufficiens rexit obesa vigor.
Judicii magnos sub inani hoc carcere nervos,
ac latitare aliam, Curio sensit, opem.
Continuare igitur tam fausto fidere coeptum.
Hortatur, caelo suppetiante, modum.
Entheus ipse novas, inter spineta, latebras,
et magis obstrusos poscit inire sinus.
Hosce requirenti, perque avia lustra meanti
prodigio monstrat lucidiore, Deus.
Quattuor e summo vidit descendere caelo
in loca vepreti deteriora, faces.
Margo loci nomen, silvestribus undique dumis
aspera, et hirsutis foeta crepido rubis.
Laetior has salebras, hanc Numinis indice doctam
introit, absque ullo se comitante, specum ;
introit, ac Domino fretus ductore, frequentat
a populo structam commiserante, casam.
Suppetit hic eadem quae visa erat ante, supellex,
quamque unam toto legit in orbe, nihil.
Captabat modicum, duro super assere, somnum ;
cervicalis erant plumulae, acuta silex.
Sobrius hic inter lacrimas asceta profusas,
inter et ardentes linguae animaeque preces,
nescius humanae, sensu tamen integer ; escae,
Numini ad extremum serviit usque diem.
Serviit ; atque statis, ad mystica sacra, diebus
non detrectantem protulit inde pedem,
nempe Dei famulo divini pabula Verbi,
Numinis excelsam mens meditata trabem,
sumpta salutiferae, quot mensibus, hostia Cenae,
scitamenta, penus, nectar, Hymettus erant,
tanta quidem movere vagos mysteria scrupos,
famaque multiloqui non erat aequa fori.
Lecti igitur vigiles scitis communibus, arta
invasere omnes obsidione vias,
accessum nulli, nulli tribuere recessum,
copia suspecti ne foret ulla doli.
Integrum in excubiis tenuit custodia mensem,
non subiisse ullum testificata penum.
Quin etiam Thomas, Hermanni praesulis olim
perfunctus sacras, praesul et ipse, vices,
ut sibi certa novae foret experientia famae,
Nicolei obscuram venit ad usque casam ;
comique alloquio, virtutis uterque decorem
evehit, humanam damnat uterque luem.
"Praesule, quae tandem virtus sit prima ? " rogante,
"Omne, inquit, punctum, qui bene obedit habet."
Approbat, atque dari sibi morem antistes, et aurem,
ac bolum panis mandere dente, jubet.
Liber ab hoc uno, mandante Antistite, jussu,
submissas inter dum nequit esse preces :
tentat in insuetas Cererem demittere buccas,

bucca sed ingratum nauseat aegra cibum.
Tandem ut conscissas in frusta minuscula micas :
glutiat, omnem operam gutture et ore locat.
Ringitur insolito turbatus ab hospite venter,
nec potis est panem, nec tolerare merum.
Praesul in extremum conversus paene stuporem,
dum videt offensae proelia tanta gulae ;
a tam morigero veniam obtestatus alumno :
"Fama, ait, o tanto quam canit aequa viro !
Sacramenta igitur mirari exotica, habere
a prava immunem suspicione fidem,
unanimesque Deum pergunt celebrare, patrantem
prodigia in fervis, non imitanda, suis.
Interim Eremitae, toti fit cognitus orbi
rumor, et affines excubat ante fores.
Naturae stimulus, Bacchique gulaeque triumphus,
omnium in ore crepant, omnium ab ore volant,
huc velut ad Tripodem, Clariique oracula Phoebi,
currit ab omnigenis, sexus uterque, plagis.
Helvetiae fidus, summique Tonantis amicum,
claustra inter modicae conditum opaca casae,
certatim innumerus satagebat visere coetus,
passus ab inculta taedia nulla via.
Repperit hic certum quivis afflictus asylum,
et non frustratam tristis et aeger opem.
Servus enim prudens, fidusque athleta Tonantis,
cui dedit aetherius plurima dona, polus ;
occultas hominum mentes penetravit, et imos
subtili inspexit cognitione sinus ;
visentumque suam, penitissima pectora, cellam,
atque animi totum resciit, ante, statum,
saepius eventus praesagiit ipse futuros,
fatidicis pandens abdita quaeque labris,
quaeque dedit populis, divino percitus oestro,
verba, Sibyllinam promeruere fidem.
Illum inter reliquas visit quoque ganeo turbas,
qui spurio infamem reddidit igne torum.
Ille verecundum simulans adstare Iosephum,
integra ab Idaliis sit cui vita sacris,
Nicoleo ad Melcham, comitante, adducitur amnem,
ipse sui vivum cernat ut inde typum.
Continuo geminas, larvis crudelibus, umbras
prodire e mediis, cernit adulter, aquis ;
cernit eas viva magis excandescere pruna,
et vomere ignitos, fauce flagrante, globos,
monstroque attonitus, postquam Cocytia spectra
visu terribiles exhibuere modos ;
in Lamia expressas agnovit utraque Corinnas,
quas sibi comixtas noverat ante lupas.
Jamque pavescenti "Viden, o temerarie, formas,
quas miser in lenis quaeris amasque tuis !
Corrige, sis, Paphiae malesuada incendia taedae,
perditus Orcino ne cruciere rogo."
Dixit Nicoleos : correxit ganeo mores,
doctus ab hoc uno, caelum Erebumque viro.
Sexcentos taceo. Lanione patebit ab uno

noverit arcanos qua ratione sinus.
Ille quidem pecori coemendo assuetus. In istas
saepe tulit loculo fulva metalla, plagas ;
et dictatorem latitare hic nescio qualem,
aemula Thesbitis qui gerat ora senis.
Praeteritum, praesens, qui praesciat atque futurum,
qui sicco nullum glutiat ore cibum,
Dum semel atque iterum, sparsis rumoribus audit
"Ipse rei testis, dixit, et augur ero".
Feno igitur replens pendentem e fune crumenam,
gestare Attalicas, histrio fingit, opes ;
cornuaque attollens, ac ficto turgidus auro,
introit hirsuti lustra casamque viri.
Praescit Nicoleos, fastumque ut sedet inanem :
"Pone, ait, o larvam pone miselle tuam.
In vacua quid fingis, opes, aurumque crumena ?
Ad cultum loculi non facit herba soli.
Ne simula Croesum, tua te constantia, fili,
cum passim soleat nominitare Codrum.
Rectius incedes, si cures esse, quod audis :
centoculum nulla luseris arte Deum."
Erubuit, vatemque stupens. Fucumque resorbens,
confusum retulit, vanus Agyrta pedem.
Qui flammam Veneris, qui fastum exstinxit, eumdem
Vulcani ardentes extimuere faces.
Corripuere ipsam furibunda incendia Sarnam,
flammarum rapidis perniciosa globis ;
jamque supra tostos coeperunt tecta penates,
inter et ambustas tigna crepare trabes.
Nil populi accursus, nihil udi in plebe lacerti.
Nil gravis affusae profuit imber aquae.
Auxerat accensas Vulcani insania vires.
Contiguas late depopulata domos,
cum celer ad notae currit penetralia cellae !
Nicoleique piam nuntius orat opem.
Ipse malum miserans, ascensi e culmine clivi
prospicit ignivomos lege carere globos.
Sed Crucis extensum formando per aera signum,
jam desperatae fit medicina rei.
Flamma Patri vix visa fugit, sensim interit ignis,
deserit invasos Mulciber ipse lares.
Deseruere omnem sopita incendia pagum,
virtutem orantis nescia ferre Senis.
Plura recenserem ; sed omittere plurima, suadet
trita haec Magnatum tessera, sermo brevis.
Addere de miro lubet hic quoque paucula visu,
evasit tantus, quo radiante, sophus.
Apparere olim rutila, sibi vidit, in aethra,
schemata mirificae prodigiosa Rotae.
Fulserat e media facies clarissima sphaera,
undique lucentes ejaculata faces.
Mitra coronatam decorabat regia frontem.
Qualis Caesareas ornat amatque comas.
Enituit toto majestas caelica vultu,
et transformati mystica imago Dei.
Seni inerant radii, quos luce auroque coruscos

distinxit variis, mira figura, modis.
Ex oculis radius prodiverat alter ; habebat
alter in aure suas, alter in ore bases.
Ista quidem nimiam dum evibrat machina lucem,
stravit humi attonitum, machina visa, senem,
perstringensque omnes macilenti corporis artus,
scintilla tactas laesit hiante genas.
Laesit ; et in vultu, ceu quondam in vertice Mosis,
conspicuam cunctis reddidit inde notam.
Ista Rotae facies, et dictae schema figurae.
Nicoleum Actaea plus docuere schola.
In graphica certe cuncta haec expressa, tabella
ante oculos voluit semper habere suos.
Crebrius affirmans, missam hanc a Numine sphaeram,
purum divini Pneumatis esse librum ;
dogma sacrae Triados, Fidei mysteria, caeli
abdita, in hac una se didicisse Rota.
Ebrius id circo divini a fonte Lycaei,
quid mirum, humanam si renuebat opem ?
Ipsa viri sedes, et amatae angustia Cellae,
sicut odor pleni quae redolebat a(g)ri,
tam suavi ambrosia fragrabat saepius, ac si
cum vernante omnem Chloride ferret Hyblam.
Jamque in spelaeo vicenos circiter annos
egerat, elusae malleus iste gulae.
Cum placuit purum jejuna e corporis arca,
spiritum ad aetherios associare choros,
lustra aerumnoso bis septem agitabat in aevo,
primaque gliscentis tempora veris erant :
cum super assueti decumbens assere tigni,
jam praelibato, per pia sacra, Deo,
Immortalem animam, mortali e carcere, plenus
misit ad Empyreos, speque fideque, thronos.
Sic moritur, sic regna petens caelestia Justus,
marginem, et electae deserit antra casae.
Mors pretiosa nimis, si caeli jubila spectes ;
si mundi gemitum, mors lacrimosa nimis.
Rumor enim spargens defuncti fata prophetae,
in querebundo udas reddidit orbe genas.
Indoluit jam priva suo plebs omnis asylo,
ereptum hic medicum fleverat, ille patrem.
Luxerat amissum silvania tota Patronum,
thesaurum patrii deliciumque soli.
Rituque eximio, jam mortis lege solutum,
in Saxellensi condidit aede, virum.
Conditur, ut dia posthac recreetur ab esca,
nesciit humanus quem recreare cibus.
Quemque suis natura epulis, quem Massicus humor,
quemque Syracosiae blanda libido gulae
allicere haud poterant, meliore allectus olivo,
a dio cunctam nunc replet ore famem.
Quam vero haec fuerit caelestes inter Ephebos,
inter et Elysias mors celebrata plagas ;
plurima morborum docuit farrago, medelas
funeris ad capulum qui reperere suas.
Excivere omnem justa haec funebria plebem,

deseruere suos, dives inopsque, lares.
Quisque repente miser, caecus, surdaster, et aeger,
ad sacra sollicitos, busta, tulere gradus ;
quorum ubi praesentes coluit reverentia Manes,
praesentem caeli vidit adesse manum.
Sepositis jam claudus agens vestigia fulcris,
plus solito abiegnos, plaudit, abisse pedes.
Alteri anhela gravis dum torret viscera febris,
cedere quartanam gaudet et ipse luem.
Quique Machaonias nequicquam inhiabat in herbas,
quique Epidauream sollicitabat opem,
vivum funerea sentit Podalirium in urna,
sentit adesse suo pharmaca quisque malo.
Hic vero innumeram si exilis Epistola tabem,
si persanatas enumerare febres,
ad Subsilvanum miracula visa sepulchrum,
tentaret solitis si memorare metris ;
cogere in angustam, tentaret Epistola, fossam
Hellespontiaci stagna profunda freti.
E signis aliud meminisse, aliudque trecentis,
vix patitur curtae finis et ordo rei.
Capti oculis aliqui qui concavo ab orbe tueri
lumina Phoebeae non potuere rotae,
ad Saxellensem, caelestia numina, tumbam,
ut visum acquirant, supplice corde rogant :
reddita lux oculis, perhibebat ad astra profusas,
numinis assensu non caruisse, preces.
Ducebat surdam mater nimis anxia natam
ad tam mirifici lustra casamque viri.
Introit haec cellam, precibusque fatigat Olympum,
curata, ad patrios mox redit, aure, focos.
Praesul in Helvetiis, Benedictus nomine, claudos
flectere Apollinea, dum nequit arte pedes :
surgit, et ascenso per saxa, per arva, per undas,
prodigiosa viri lipsana quaerit equo ;
quaerit, et inventam, dum vota exsolvit, ad aram,
calcis utrimque tumor, cedit utrimque dolor.
Transiit Arctoas haec emphasis Helveta gentes,
Danumque hanc ipsam traxit ad usque casam.
Claudus erat, nassaque prius solitabat et hamo
in sua squamigeros cogere lucra greges,
at pedis invisos perpessus et ipse dolores
(dum supplent tremulum lignea fulcra gradum)
sacra, profana, suis quaerit medicamina talis ;
cura sed in patrio non juvat ulla solo.
Compostellam igitur, terrasque invisit Iberas ;
nec tamen exorat, quam miser orat, opem :
caelestique suam Cosmo tardante medelam,
aeger in Hesperiis marcet, ut ante, plagis.
Interea somni post sparsa papavera, Morpheus,
dum videt in tristi languida membra toro.
"Surge, ait, inque aliis tibi quaere Machaona terris ;
ostia Teutonici sunt repetenda soli.
Helveticas inter Chiron tibi suppetit Alpes
inde manet plantam cura salusque tuam."
Nicolei manes illic venerare : medetur

dextra Dei cunctis, ejus ad ossa, malis,
paret, et Ascetae per in hospita tesqua sepulchrum,
per loca centuplici plena labore, subit.
En tibi portentum ! Quod Compostella, quod omnis
Dania, quod medicae non tribuere manus,
saxula dat Cimbro. Sacram vix repit ad aedem.
Nicoleum et magnos vix vocat ore Deos :
planta repente gravem cum persanata tumorem,
eque medulla omnem sentit abisse luem.
Exsilit ingeminans divina charismata Cimber,
suffigit medio fagina fulcra tholo :
prodigiumque ingens mundo admirante, revertit
velo, ad Codanum, prosperiore, sinum.
Turba frequens hominum leto jam proxima, cymbam
hoc quoque ab iratis auspice salvat aquis.
Praecipiti puero, procera ex ilice lapso,
trajecere acres intima colla sudes.
In lecto teneram, suppressus pusio, vitam
perdidit, ac mortis non nisi praeda fuit.
Haesit in occlusa, buccella impervia, bucca,
horrente invisum gurgulione cibum ;
jamque epiglottis erat secluso, visa, meatu
perdere velle ipsam, cum comedente, gulam.
Partem aliam torrens rapido suppressit in alveo :
obstruxit fauces huic grave rheuma suas ;
altera congeries, laxatis Aeoli habenis,
cernit in irato fata suprema lacu.
Parturiens, comitante suo, creberrima, foetu
funeream visa est, velle subire scrobem.
Verum ope divina, cum tot languoribus aegri
Nicolei sacros aut adiere lares,
aut veteri sese commendavere parenti,
falcibus armatas impediere Deas.
Suffocativus cessit cum rheumate branchus,
praecipiti agrestes nil nocuere sudes ;
fugit ab obstructo buccellae injuria collo ;
reddidit immunem fluctus et unda ratem.
Aeolus horrisonos mulctavit carcere ventos,
versa est in tutum barbara Scylla vadum.
Atropos, incoeptum jam prona abrumpere filum,
servavit nomen, parcere jussa, suum.
Calculus, atque acres dysuria, et hernia, pestes,
tam sibi praesentes nusquam habuere deos.
Testantur reliquas suspensa anathemata febres,
ad tumulum magni quae cecidere viri.
Herculei hic certe cecidit contagio mori,
sive epilepsis erat, sive phrenitis erat.
Anne igitur mirum, si vulgi vocibus audit,
morborum requies publica, certa salus ?
Salve stelligeri Jaspis pretiose Palati,
gloriae inaurata jam redimite stola.
Helveticae tu gentis honos. Tibi patria festos
instituet, memori semper amore, choros.
Perge, age, certantem mundani in pulvere circi,
pastori aeterno conciliare, gregem,
sermo sed hic tanti ne Principis obruat aures

longior, imposito, littera, fine, tace.

## DE ADMIRANDIS QUIBUSDAM ACTIBUS HELVETIORUM.

H3_06

Tu quoque nostrorum traheris virtute parentum ?
Tu proavorum actus, et belli turbine partos,
alite Castalio, gestis audire triumphos ?
Dulce quies operum, dulce est meminisse peractos,
otia nunc inter patriae secura, labores.
Tam varia sed enim mixtam farragine telam
quis tibi pertexat ? Certe tot bella vetustis
bellata Helvetiis, tot nobilitata tropaeis
proelia, concessam toties a Numine palmam,
fusosque e patriis tam saepe penatibus hostes.
Nucleus angustae nequeat comprendere chartae.
Iliadem exaequant Bellonae monstra, vel unam
sparsa per Helvetiam ; quorum jam pleraque dudum
nacta fuere suos, vario scriptore, cothurnos.
Sempacum canitur ; celebratur opima Morati
laurea, defensae virtus heroica Laupae,
palmaque Morgarti, Donaci praeda, per omnes
cantantur plateas. Stat vulgi animosus in ore
Tellius : elati funesta tragoedia passim
Caroli, et Helveticae resonant praeconia famae.
Pridem habuere suum Suicera epinicia prelum.
Magnanima patrata tamen compluria dextra
acta tibi ut memorem, quod amice precaris amicum,
pauca ex innumeris, summatim expressa, capesse.
Si paritatem, ullam reperit natura, videtur
Helvetus Herculeum gestis aequare vigorem.
Ille flagrans Heroum oculus, cum praecoce facto,
parvulus in teneris etiamnum pusio cunis
insidiatrices elideret ungue cerastas ;
terruit una omnes tam nobili adorea, et orbi
Amphitryoniacos praesagiit inde triumphos.
Prognosis, primo rata si spectetur ab aevo,
inclita et a nostris praesagia sume pusillis.
Altero abhinc saeclo, cum Suevica bella per agros
orta forent patrios ; chorus ecce infantium, aprico
addictus sabulo, consueta crepundia circum
ludere, et in sicca confidere coepit arena.
Lusus erat pueris, cum proximo ab hoste, repente
exonerata gravem, cum ingenti murmure, glandem
balista evomuit ; quae raucis stridula bombis
irruit in blandi gremiumque sinumque puelli.
Suscipit ignivomam cordatus pusio sphaeram.
Et manibus versando rotat ; vivaceque demum
indole, nil digitos, nil membra tenellula laesus
abjicit insuetum, ceu pondus futile, monstrum.
Si tanti teneros reputantur gesta sub annos.
Omen et istud habe : confer Tirynthia nostris

robora cum pueris ; te praevia signa docebunt.
Nec tonitru pyrio, nec fartis sulphure sphaeris,
nec ballistarum reboanti fulmine, fortes
terreri Helvetios. Hac indole praeditus olim
(ignea ubi saevam jam ursere tonitrua pugnam)
centurio Suicerus ait : "Si quispiam in isto
tela gerit campo, cui tam furibunda paventem
injiciant tormenta metum ; vel si quis asylo
defensare suam cupit hoc in pulvere frontem,
me petat intrepidus : titubanti hic cuique licebit
quaerere : pone meum, sua propugnacula, tergum ;
Vir plane, armisonus quem nil movet impetus, hic stat.
Martia si nostri memorare tropaea Friburgi
mens foret, heroes efflarem uno ore trecentos,
in mediis quorum vox haec fuit unica telis,
Helvetus, armicrepus quem nil movet impetus, hic stat :
quae Patrum arbitrio, Cantones inter et Urbes
eminet Helveticas, etiam hic Res publica primum
obtineat Tigurina locum. Numeraverat orbis
saecula jam tredecim post prolem ex Virgine natam ;
cum Tiguri Canto, brumam intendente Decembri,
armatorum aciem Badenae misit ad urbem.
Turba quadringentum fuerat selecta virorum,
plus animi quam plebis habens ; quae Marte secundo
Thermopoli egrediens, dum nullum somniat hostem,
insidiarum amplos Detvillae offendit acervos.
Quattuor Austriadum latitabant milia, quorum
rexerat armigeras dux Ellerbachius alas.
Dux aberat nostris ; Christo tamen auspice freti,
et solitis nervis, animisque ingentibus usi,
Teutonicum expugnant, pugnando viriliter, agmen,
algor et ardor erat ; facta antiperistasis illic
e Suicera omnem deduxit pube calorem.
Insidiatrices exenterat illa cohortes,
inque fugam redigit, septingentisque necatis.
Tam vafro eximium deportat ab hoste tropaeum.
Ni parvi pendas, quod milia quattuor, uno,
a quadringentis sint fusa heroibus, actu.
Quadraginta ipsos acies Tigurina reliquit.
Quando legis toto divisos orbe Britannos,
egregie quondam nostra tellure fugatos,
ictosque Helveticis reminiscere viribus, Anglos.
Buttisholzensem postquam hic exercitus agrum
vastare occepit ; lanionum animosa repente
cerdonumque manus, nervisque animisque potentes
Luceriae cives, rarique e rure coloni,
pertaesi illuviem prae vipera et angue Britannam,
stare loco nequeunt ; praeter decreta Senatus,
arma sudesque legunt, atque acrius impete facto,
dum sine lege graves bacchantur in hoste bipennes,
fata Caledoniis, letumque immane tribunis
accelerant : praedaeque avidos, nec patria rursum.
Praedia, nec celeres patiuntur inire triremes.
Horum etiam densas simul ac Fraubrunna, phalanges,
coenobio spectata, tulit ; clarissima ferrum
(saevirent mediae quamquam horrida frigora brumae)

corripit Arctopolis ; peregrinam milite lecto
aggreditur gentem, numeroque tot hostibus impar,
usa tamen solidis, majorum more lacertis.
Plus octingentos, trans Anglica caerula natos,
ad stygias detrudit aquas : satrapasque, ducesque,
plebeiosque ferit, labarisque potitur, et amplas
captat opes, donec generosa exterrita turba
sentina Albionum, grandique repulsa ruina
praecipitante alias inquireret agmine terras.
Quattuor aut quinos amisit Berna strategos.
Digna cedro res est, cuneis tam ingentibus hostem,
quem decies septem fuerant comitata virorum
milia, quem vasti metuebant oppida Rheni,
a tantilla acie tanta periisse ruina.
Hoc etiam saeclo, cum brumam pellere verni
coepissent Zephyri, caltas que thymumque recentem
Chloris, et egelidos retulisset terra tepores ;
Cantones socii Clarona ac Suitium, ab acri
paene incredibilem retulerunt hoste triumphum.
Ad juga Nepheliae, ter milia quinque virorum,
Austria, belligerum saevis produxerat armis,
depopulando omnem late vastantia terram.
Quinquaginta igitur quantocius, atque trecenti
confluere Helvetii, rapere arma, rotare machaeras,
arreptare sparos, et telum quisque propinquum
tollere, Germanosque unita invadere dextra.
Pugna repente acris ; quodque admirabile dictu,
viva quod Aonii meruit praeconia Pindi,
ter centum Helvetici, quinquagintaque coloni,
bellipotentum hominum sub caelo Teutone cretum
quinque decemque simul profligant milia ; denis
augentur labaris ; hostes bis mille, cruento
quingentosque necant gladio. Pars multa profundis
mersa exspirat aquis, cum respirare relicti
vix possent profugi. Tam prodigiosa vicissim
militia, e nostris viginti quinque peremit.
Digna quidem virtus, quam nunc Clarona quotannis.
Excitura suos ad facta heroica cives,
commemoret, festosque dies, ritusque celebres,
grata Deo, instituat ; partique insigne triumphi,
tamque sibi dextrum generosa celebret Aprilem.
Qua transalpinum Vallis Livinia monstrat
Jornicum in Uraniae visendum margine pagum.
Patriae inauditam tribuit Lombardia palmam.
Dux, cui parebat Mediae - provincia - lanae ;
bello finitimas id temporis obruit oras,
et jam quindecies Italorum milia, fines
misit in Helveticos, qui mox evertere dictum
Jornicum, et ingressi penitus delere studebant
agmina praesidii. Sexcentos oppidum habebat
in statione viros, illuc per summa Gothardi
culmina transmissos. Hi raptis ilicet armis,
more recusantum vincla injicienda leonum,
excipiunt Italos nervisque ingentibus usi,
Insubrumque acies iterumque iterumque probatis
viribus aggressi, memoranda strage profundas,

mille quadringentos abigunt, Plutonis ad umbras ;
cetera quaeque fugant vallemque simulque sinistram
Ticini ripam, Lombardo sanguine complent.
Conflictu in tanto non occidit Helvetus unus.
Si perpetratos Elicurti in finibus actus
hic etiam repetisse juvat, res gesta docebit,
Sequana ab Italicis non discordare tropaeis.
Millia produci jussit tricena, ferocum
dux Burgundionum : processerat ipse Rotundo
magnicrepus de monte Comes, formidinis heros
terrorisque expers, ac pronus in Helveta castra
clamque palamque omnes effuderat undique vires.
Stabant innumeris tormenta advecta quadrigis,
fulmineas minitata pilas ; replebat arenam
acer, et omnigenis pollens exercitus armis.
Freta tamen Superis, animosque induta viriles
Helvetica de gente phalanx, ingentia promit
robora, Burgundas propulsat ab aggere turmas,
clara tropaea refert, spoliis ditatur, et hosti
(milia sanguineus cui bina voravit hiatus)
"Vade, ait, atque alias posthac inquire tabernas.
Liba lacessitae non dant meliora popinae."
Conflictu in tanto non occidit Helvetus unus.
Gransonii notam cum pugna flagraret ad urbem,
usa indefessis fuit et Basilea lacertis.
Plus octingentos mittebat ab urbe tribules,
Helvetiae immanem qui luctarentur in hostem.
Luctantur, feriunt, certamina grandia certant,
Haedua discurrunt per castra, per agmina ; et ecce
conflictu in tanto nec Rauracus occidit unus.
Forte Brigantinum jam decedentibus annis
gens Alemanna lacum cum trans- armata -fretasset,
et Patriam insidiis ferroque ignique petisset ;
incidit in Scyllam, dum adverso Marte, voracem
Helveticae plebi studet objectare Charybdim.
Namque ut flavicomos pubes Turgoica Suevos,
instructamque feris Legionem conspicit armis ;
tela simul, vix jussa, rapit, ferrumque manumque
conserit, atque initam tam dextero acinace pugnam
expedit, ut facta sexcentum clade virorum ;
Teutonico immensum portarit ab hoste tropaeum.
Serius haec legio (dum trans Acronia stagna
degere non segnes vidit quoque Martis alumnos)
serius optavit, vel non intrasse carinam,
vel ferro Helveticas non irritasse secures,
certe ubi sexcentos animam exhalasse Suevos
praecipiti fervore videt ? "Patriamque, lacumque
clamat, et advectas volucri petit impete puppes."
Unicus e nostris vitalem perdidit auram.
Jusserat Hippotades alterno turbine ventos,
a conjurati quatuor regionibus orbis,
turbare Helvetiam. Post Austri proelia et Euri,
post Cori furias, Boreae quoque flatus ab axe
vectus Hyperboreo, violentis saeviit alis.
Dornacum audisti, quod denso examine pressum,
Caesarianorum cum plus quam terna vorasset

milia, in Helvetico vix perdidit agmine centum.
Uberiorem autem petit isthaec laurea vatem.
Pauca his subjiciam, sed quae memorare Latinus
vix patitur calamus. Qua divitis ubere glebae
eximios fecunda parit Sundgovia campos,
parturiit nobis famam Oxenfelda celebrem.
Helvetiorum acies Mulhusii agebat, et hostem
illic grassantem crebris compescuit armis.
Quadraginta igitur, jussi comitare quadrigas
annona gravidas, Tauriscum forte per agrum
ibant Suiceri, duro latus ense revincti.
Hos simul atque hostis, velut inter retia, structis
vidit ab insidiis ; cum in toto exercitu inanem
lusisset persaepe operam ; jam praeda petitos
incidet in casses ; : "Jam bubulus, inquit, acervus
mugiet, et nostras cadet hostia caesa sub aras :
offeret Helveticos haec Oxenfelda juvencos."
Ergo Alemanni equites, rapidi velut aura, trecenti,
quadraginta istos, ferroque, ignique, manuque
urgent Helvetios. Quid ad haec tam dispare Marte
turbula ? Quid tanto circumdatus aggere coetus ?
Perstat, ut in clauso flavescens bellua circo,
et patrias, de more vibrans agitansque secures,
Teutonicam nunc dextra acie, nunc parte sinistra
impetit orchestram ; jamque hos, jamque impiger illos
demetit, ac tanto fervore fatigat, ut omnem,
ni procul aufugiant, reputent periisse salutem.
Pars igitur profugit ; pars defalcata caballis
desilit ; effuso pars innatat icta cruori.
Quod superest, celeres superat currendo capellas.
Sicque Lucerna tuos insignis palma tribules,
sic satyra Alsaticos excepit, digna, Thrasones,
unicus e nostris vitamque animamque profudit.
Bruderholzi eadem facta est prolusio. Stabant
Caesarianorum simul octo milia. Nobis
vix octingentum praesto fuit ala virorum,
Missorum Arctopoli, Salodoro, atque urbe Lucerna.
His consulta quidem suasit Basilea, caverent
muta in vicina latitantia milia silva
Germanorum acres huc confluxisse phalanges,
grex contra Helveticus : "Procul, o procul absit, ut ullum
injiciat nobis acies Alemanna tremorem ;
coeptum agitamus iter. Quod si contraria nobis
agmina, et e toto seges obviet aerea Rheno.
Stabimus ; ac solito nil deficiente vigore,
et segetem et vasti penetrabimus agmina Rheni ;
gustabit nostras seges haec quoque ferrea falces."
Quod dictum, factum. Prurigo acerrima luco
prosilit, ac nostris inhiat truculenta catervis.
Stant tamen unanimes. Concurritur ordine prorsus
impare ; quot nobis hominum centena, tot illis
milia : sed modicus dum cedere nescit acervus,
more leonino nunc insultantia truncans
agmina, nunc sellas et turgida ephippia sueto
sessore evacuans, Satrapamque Ducemque frequentem
Macrone exanimans ; pulcherrima laurea nostros

transit ad Helvetios : gens hostica namque suorum
territa caede Ducum, per plana, per aspera praeceps,
per loca quaeque fugit, tortoque simillima telo
(octoginta ipsis nostratium acinace caesis)
transvolat una omnes, pavitante examine, campos.
Unicus e nostris hostilibus occidit armis.
Parva ubi vitiferos disterminat Harda Rheguscos.
Nobilis hoc ipso Victoria fulsit in anno,
tendebat noster cautis exercitus armis,
quaerebatque suum, per inhospita lustra viarum,
perque vepres medios, jam pugnae avidissimus, hostem ;
ipsius e castris procedunt mille, fugantur ;
dena Alemannorum succedunt milia, et acrem,
qua face, qua ferro, qua accensi turbine nitri,
instituunt rabiem ; pugnantque, fremuntque, boantque,
turpiaque obscaena jaciunt convicia lingua,
experta Helveticas necdum in certamine dextras.
Verum ubi despicimur, subit ecce inopina salaces
nenia Tritones, plexitque haec scommata planctus :
vix tormentorum Germanico in agmine stantum
absolvere suos, crepitantia murmura, bombos,
tormenta Helveticos cum nacta fuere magistros.
Inde actus gravior ; qui dum vehementius hostem
urget, et Aeaciam creberrima mittit ad urnam
funera, projectis fuga fit subitanea telis ;
tanta quidem, ut patrios jam paene oblita penates,
pars urbem Augustae, pars ultra aufugerit Ulmae.
Plurimi ubi fugitant, navesque impensius implent,
mortem haud effugiunt : queis telum ac mucro pepercit,
hos lympha exstinxit. Numerantur millia quinque,
quos Thetis et Mavors, spoliarunt lumine vitae,
mense cui sacrum tribuerunt Februa nomen.
Tres solum Helvetios tam pugna cruenta peremit.
Subticuisse tuum, scelus est, Frastentia, bellum.
Suevo exercitui (qua summos Rhaetia montes
explicat) Helveticas placuit gustare bipennes.
Bina olli legio, tormenta curulia vastis
grandia ponderibus, locuples annona, paratus
in bella eximius : quorum sibi singula certam
a parte hostili poterant promittere laurum.
Sed solidi quid bella ferant ? Mutatur in omnes,
Carpathium Mavors imitatus Protea, formas.
Urania Henrici genitrix Vollebii, ad isthaec
Helvetiae egregium concessit bella Cononem.
Hic sibi commissam, dum ingenti ducit et ornat
dexteritate aciem, duodenaque milia lectis
aggreditur sociis ; velut ipse Polymnius heros.
Pugna cui aeternam generavit Leuctrica famam
occidit, inque suo clausit sua fata triumpho.
Occidit, at poenas inimica a gente recepit.
Helveta namque cohors ignita glande peremptum
fortiter ulta virum, facto ilicet agmine, stantem
icit adorta hostem, campo duodena fugavit
milia, lethaeas misit ter mille sub umbras,
Yllo submersos numeravit mille trecentos.
E chalybaea acie (quingentis mille colonis

ex Athesi missis) bombardiferisque Suevis
ter centum numero (quibus ipse Gradivus in una
omnium erat lingua) vix evasere ducenti,
tormentorum ingens cataphractarumque paratus,
cum quinis labaris, quingentis ordine sclopis,
tantillo insignem tribuere in tempore praedam.
Undecim in Helvetica mortem oppetiere caterva.
Suaderlocensem petit haec quoque pagina stragem,
majorum egregiis exercitam in hoste lacertis,
necdum sedati post proelia tanta fuere
Germanorum animi, membrana ac marmore dignos
mens erat Helvetica de gente referre triumphos.
Plus duodena virum Constantia ab urbe, fluebant
milia, diversas in bellum ascita per urbes.
Jamque animis absorpta fuit Turgovia ; jamque
Helvetiae extremum est minitata Alemannia fatum.
Ermatinga quidem primam concesserat hosti
lauream et omnigenum tam milia multa phalangum
ausa fuere viros incessere quadringentos !
Verum ubi flammigero lux postera fulsit Eoo.
Respexit victrix nostras Tritonia partes.
Mille quadringentos animosa licentia ferri
exciit Helvetios : hos postquam ad Suevica castra,
rara per occultos deduxit semita calles,
aeterno dignam pugnarunt marmore pugnam.
Nam licet horrificas hostilis machina sphaeras
mitteret, ac totam tonitru confunderet aethram,
terrore Helveticam nequiit confundere pubem.
Illa suas, ausuque alacri, virtuteque grandi,
circumagens frameas ; illa ensibus, illa sarissis
fortiter aggrediens aciem praepostere ovantem,
instituit tanta praeludia bellica flamma,
ut nimis incautos laniena asperrima Suevos
fregerit ; ac modicae, bis milia sena, cohorti
monstrarint tremulos, fugitivo examine, talos.
Praeter balistas, quas amisere, curules,
mole sua immensas, ac vastis quercubus aequas ;
bis quoque milleni, quadringentique Charontis
intravere nigram, post tristia funera, cymbam ;
viginti e nostris lethaea obiere ruina.
Ad ripam undivomi, saeclo anteriore, Lemanni
fama per affines crevit quoque nostra Sabaudos.
Commodiore loco quingenti ac mille steterunt
armati Allobroges ; visi his cum forte fuissent
quindecim ab Helvetica, quadrigentique, caterva,
(quorum quisque fere Jurassi erat accola) opimam :
"Hercle, aiunt nobis dabit haec orchestra merendam,
vixistis miseri ! Vobis nec quippe Genevae
tecta, nec in patrios dabitur remeare penates."
Concurrunt, feriunt, ferro certatur et igni :
plus quadringenti quadragintaque Sabaudi
efflavere animas ; reliquique fugacibus alis.
Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno,
septem ex Helvetica, mors abstulit improba, turba,
occidit et mulier, sed non prius occidit, imum
quattuor Allobroges quam praemisisset ad Orcum.

Si memoraro actus, quos irrequieta Cisalpes
Gallia sortita est ; paradoxa exotica, dices,
ac supra humanum memorari proelia rhombum.
Quid potuit pugnis generosius esse duabus,
Quas decimo quinto Mariagna Insubrica saeclo,
et quas pugnari jam obsessa Novaria, nostris
viderat a Proavis ? Gallorum exercitus ingens,
Ticini immensam qui paene aequabat arenam,
hinc secum Aetnaeos reputabat et inde Cyclopes,
aut terra genitos certamen inisse Gigantes,
Helvetiorum octo non plusquam milia (quorum
armatura levis nullos sortita caballos,
nec catapultarum metuenda tonitrua) caedunt
Celtarum innumeras, Alemannorumque phalanges,
quadrupedantum aciem, peditumque ingentia fundunt
agmina ; fulmineo plus milia dena trucidant
ense, fugantque feros Italis e finibus hostes.
Vidit, et obsidio jam exempta Novaria, caras
Suiceri populi transvexit ad astra, cohortes.
Quis modo, quis scribat Mariagnae ad rura patratos
Helvetiorum ausus ? Mavortius ipse monarcha,
Francigeni qui sacra tulit diademata regni,
quinque virum decies produxit milia, et omnem
militiae nervum ; ducto tamen agmine, nostris,
vix quinquaginta defendit milia, ab armis.
Solus ad occasum primo pugnabat ab ortu
Helvetus, et noctis vix passus abire tenebras,
horrida sanguinei repetit taratantara belli,
ac nisi tanta tuas, rex invictissime, turmas.
Copia munisset ; quamquam insuperabilis, armis,
Gallia, ab Helveticis foret hic superata colonis.
Vidit, et obstupuit dux ipse Trivultius, altum
Ausonia de stirpe genus ; tandemque machaeris
territus Helveticis : "Caeli, inquit, sidera testor,
quaecumque haec gens est, Heroum sanguine creta est.
Heroum hic animus, tota est heroica virtus,
octodecim egregias, jam castra secutus et ipse
pugnavi pugnas, ubi grandis utrimque refulsit
belligerantum ardor ; quibus hanc si confero luctam,
inde meros homines, hinc mecum dicere cogor
diis genitos certasse viros, Rhaetique Pholique,
brachia sortitos ; quorumque acerrima virtus
tela nihil Tarpeia timens, caelumque, Jovemque,
sideraque, et magnos ausa est invadere Divos.
Sed nec Ibera acies vis quanta sit Helveta, nescit.
Grande rei specimen, ne exemplis pluribus utar,
in Pedemontano, Cerasulae inclaruit, agro.
Germano - Hesperias, quas Vasti Marchio duxit
in campum turmas, numero ipso et robore grandes.
Agmina funesta superarunt Franca ruina,
in bellum ascitis e nostra gente catervis."
Vix alibi tanto sudavit Celtiber aestu.
Davalus erupit : perierunt milia Iberi
agminis octodecim ; rem tormentariam, et omnes
perdidit hostis opes. Quidni Victoria digna
principe Borbonio ? Digna est adamante perenni

laurea. Sanguineae sed qui spectator arenae
Marte flagrante fuit ; poterit vel judice Franco,
dicere ; Supremos palmae tam illustris honores,
et decus, et parti causamque caputque triumphi,
post caelum, Helveticis jure adscribenda lacertis.
Helvetiorum opera Saracenos saepius audis
Italia pulsos ; Latiumque, urbemque Quiritum,
a tam sacrilego divini nominis hoste
olim defensam. Redierunt tempora nuper,
ut rerum Dominae Romano a Caesare pressae,
auxiliatricem ni protinus Helveta tellus
transmisisset opem (Francas moderante phalanges
principe Guisiadum) trabeati tecta Quirini,
templaque Tarpeiae periissent funditus Urbis :
restituit pressam virtus tamen Helveta Romam.
Quando Equites nigros, importunissima Gallis
monstra, subinde audis ; oculo scrutare recentes
Celtarum historias : te res bene lecta docebit,
infinita hominum, quos protulit Orbis et Orcus,
quos Alemanna imis tellus collegit ab antris,
agmina, Liligeri cladem sitientia regni,
viribus Helveticis ad regia classica ductis,
non secus ac tenuem mox exspirasse vaporem.
Absit, ut haec memorans, Satyra mordace propinquis
insultem populis, Martisque e casside natos
arbitrer Helvetios. Sua cuique est tessera, virtus :
quemque suum facinus, sua quemque industria laudat ;
qui tamen acta patrat ; quae nemo patraverit alter,
jure suo altisonum monumenta illustria vatum,
famaeque emeritos capit applaudentis honores.
Quis Winckelriedos non tollat ad aethera ? Quorum
alter ut hostili portaret ab agmine palmam,
robore inaudito, nimiumque audacibus ulnis,
una aciei omnes in se unum attraxerat hastas.
Alter ubi immanem patriis in saltibus hydrum
audiit horribiles quamquam ipse attolleret iras,
pestifero stygium distundens ore venenum,
mittit in arma manus, vocat in certamina monstrum.
Sibilaque, flammasque acres, sulphurque vomentem
montique aequalem, necat ausu ingente Draconem.
Claronae civis, Joannes Wallius, actu
claruit egregio. Multa hunc jam vulnera passum,
sanguineque aspersum sentina invasit equestris,
viginti Austriadum. Joannes ergo sarissam
arripit ; armatos incessit et ipse caballos,
aggrediturque viros ; turmamque hinc inde recurvos
flectentem gyros, tam scita intercipit hasta,
ut tribus enectis, reliquisque e pulvere trusis,
victor in attrita solus perstaret arena.
In bellis Italis silvania terra stupendum
protulit heroem, Jordani nomen habebat,
dignus ferre suam Jordanis ad ostia famam.
Hic, ut materies semper generosa patrandae
esset virtutis, viso procul hoste, reclusas
esse urbis portas pro vallis stare sarissas
jusserat, atque ipsos ultro invitaverat hostes,

nec solum in lingua stetit illi Marspiter, ori
dextra fuit concors. Assueta hic forte bipenni
munitus steterat ; cum ferrea turba repente
prosilit, et magnis Jordanum insultibus urget.
Feria nulla viro, comprensat utroque bipennem
pollice, et haud vanis ferit hunc, ferit ictibus illum.
Donec ad infernam viginti denique cymbam
mitteret, ac reliquos sentiret abisse Daretes.
Ultima in Helvetico quae nunc est Foedere tellus,
dissona ab heroo nequaquam est corpore, et inter
ultima magnanimas non fert subsellia gentes.
Appenzella haec est : quae quamquam finibus artis
clauditur, et paucas armato efferre suescit
milite centurias ; animi tamen igne, calentum
aemula Spartiadum, virtute, ac robore supplet,
quod numero defit ; pridemque ingentibus ausis
numquam delendae meruit praeconia famae.
Ipsius exiguas, cum armatum quina virorum
milia, fulmineo penetrassent impete terras ;
excita magnicrepo, sed nil exterrita, nimbo,
non exspectatos avidissima currit in hostes,
et ferit, et mutilat, sternitque, atque obvia truncat,
et populabandos mucrone, bipenne, sarissa,
sic ruit in cuneos ; ut praeclarissima ternis
laurea cum labaris, et jugi carmine dignus
Appenzellana steterint ex parte triumphus.
Deserit ergo initam farrago superstes arenam,
adque lacum positas remigrat properanter in urbes.
Infremuere hostes, auctisque repente maniplis,
majori numero, furia asperiore, ferocem
rursus in hos ipsos aciem duxere colonos.
Nil hosti deerat, peditumque equitumque potentes
exhibuit turmas ; loricae, et ahenea moles
muniit armatos. Sed mox acerrima paucis
Appenzella viris, nec quadrupedante paratu,
nec cataphractarum ferreis circumdata vallis,
currit in arma pedes : facit ardor et ira valentem ;
centuriis insultat ovans. Hostilia docto
castra quatit ferro ; defalcat acinace stantes
nobilitatis equos, quadringentisque cruento.
Enectis gladio, rursumque potita duobus
in stadio labaris, furibundum exterminat agmen.
Talio ab irato mox quaeritur, hoste, sed ipsum
egregie exceptum, totidemque quot ante peremptis,
pellit ad affines, pubes generosa, Rheguscos.
Insequitur profugos, per et aspera montium, et altas
Marte animante, vias, non segni milite Rhaetos,
Vindelegosque petit, Ceretisque, Athesique propinquis
bellum infert populis ; et mox ultricibus armis
quinquaginta arces, ac ternas subjugat urbes,
ancipitemque sui parit omni ex parte timorem.
Forte per has ipsas, petulanti milite, terras
bacchata est legio, technis nequissima belli,
Caelum Erebumque movens, et iniqui more Procustae
fanda, nefanda struens ; quam fama ferebat, agrestum
de grege Myrmidonum, vel ab ipsa Colchidis ira,

duxisse auspicium. Nihil hac atrocius una,
nil erat asperius, nec duri miles Ulyssi,
monstra Lycaonidum nec erant tam saeva ferarum.
Olli vesano volitante per aera signo,
sacrilegis inhiare strophis, hominesque Deosque
irritare ausi, maledicti Acherontis alumnas
in sua castra Striges, totamque immitis Averni
colluviem, buccis vocitabant saepe nefandis.
Impia vexilli fuit haec inscriptio : "Nobis
Tartarus et Phlegethon, Nobis Cacodaemonis irae,
et conjurati praesto sit myrias Orci."
Hanc hominum scabiem, tam insigni praeside ductam
tot geniis auctam, simul ac melioribus armis
Appenzellanae praesentem habuere catervae ;
"Sistite monstra gradum, neu campo erumpite, clamant,
Sistite, et in tragicum nobiscum intrate duellum.
State viri, et vestris si tanta est laurea telis,
tela quoque ac nostros hodie tentate lacertos ;
finem barbarico praesens dabit hora furori."
Horrida mox pariter commiscent proelia, et acres
utraque turba manus : ferit arduus aethera clamor ;
fervor utrimque ingens, atque ilicet exserit omnem,
effera gens illinc hinc Appenzella calorem,
ista suis furiis, validis haec freta lacertis
Styx tamen et Phlegethon, et Tartarus omnis, et Orcus,
atque imploratae legio scelerata Megaerae,
victricem Helvetiis non eripuere coronam.
Illi sacrilegum scelerati e faucibus hostis
extorquent Labarum ; multisque ad Averna redactis,
exiguo totam pessumdant agmine pestem,
accumulantque novis encomia parta tropaeis.
Verba mihi desunt eadem tam saepe probanti,
jamque gravare tuas paradoxis pluribus aures
fastidit calamus. Tiguri solius avitos
quis canat heroes ? Quis facta ingentia Bernae ?
Proelia Luceriae memoret ? Quis carmine matrem
foederis Uraniam ? Quis cordatissimum adumbret
Suitium ? In exhaustos tulit olim haec inclita tellus,
fertque hodie Entellos. Generoso nomine profert
belligeraturos Thuregum illustre Leones,
Berna potens Marios, ac semper ad ardua pronos
germinat, ingeniis nequaquam agrestibus Ursos.
Luceria, ut belli coryphaeos gignit Atridas,
sic libertati redivivos Uria Brutos.
Suitia Marcellos, parit undervaldia Scaevas.
Tugium alit Pyrrhos ; fortis Clarona Cimones
educat ; Aemiliis floret Basilea ; Camillos
germinat impavidos praedonum virga Friburgum.
Et quod Thebaeo Salodorum claret ab Urso,
fert quoque Scipiades, nutritque acerrima belli
fulmina ; praestantes extrema Scaphusia nobis
largitur Fabios ; fovet Appenzella, tulitque
hactenus egregios, animi virtute, Metellos.
Cantones Tredecim, sociique, ac nobile corpus
foederis Helvetici, quod simplicitate sagaci,
quod pietate viget ; quod tam praestantibus actis

in sua supremos allexit foedera reges ;
juris et Astraeae, bellique domique tenaces,
Martisque eximios enititur undique pullos.
Quos ego, ne forsan Crispini scrinia Lippi
compilasse puter, prudens transmitto coaevis,
quos alit uberior Permessidos unda, poetis.

## DE YVRENSI PUGNA, ET HENRICI MAGNI EXCELLENTIA.

H3_07

Ille, Jacobe, tuos Laurentius inter amicos.
Qui tibi Pirithoo Theseus alter erat ;
regia liligerae sectatus castra coronae,
bellaque Francigenis non adamata plagis :
qui valeat ? Quo Marte acies Salodoria pugnet ?
Helvetici quidnam nominis agmen agat ?
More ducum proprio scitari diceris, ex quo
a bello in patrios es revocatus agros.
Pone, Jacobe, metum. Francis Laurentius armis,
fulmineos inter cinctus ubique tubos,
vivit, et arma gerens turbati in pulvere regni,
hactenus invitis non tulit arma diis.
Egressi patria mecum tellure strategi
signa gerunt contis inviolata suis,
Gallia respirat, cujus suspiria nubes
credimus, atque ipsum jam penetrasse polum.
Rex ille Empyreus, rutilis qui praesidet astris,
qui regit invicta sceptra thronosque manu ;
terrificas, quas Franca tulit discordia, flammas,
ipsaque, succensas, inter Averna, faces
sensim restinguens, tam afflictae vota coronae,
ac populi cassas noluit esse preces.
Livida Persephone, turbatrix improba mundi,
pandere bellicrepas, lex cui prima, seras ;
posset ut invicti virtutem infringere regni.
Quam timuit gemino subdita terra polo,
exciit anguicomas Stygia de valle sorores,
perpete gaudentes seditione deas.
Paruit una omnis Furiarum insania, et orbem
perculit infestis sanguinolenta flagris
heu nimis atroces, quas Gallia sensit, Erinneis,
Gallia ad extremam paene redacta luem !
Credo ego, Tartaream simul effudisse Megaeram
toxica quaeque suis, quaeque venena cadis.
Plurima cum fortes exornet eparchia Celtas,
Mars ubi non fremuit, natio nulla fuit.
Transiit affines truculento turbine Belgas,
a Pyrenaeis, perdita flamma, jugis.
Attigit Allobroges, penetravit ad usque Britannum,
undique collectis viribus, Oceanum.
Multis suspectum dum nempe Bearnia regem
protulit, huic flammae pabula amica dedit.
Exciit inde novos fortissima Francia Brennos,
praecipueque suum stirps Cenomanna Ducem.

Et Latium, et socios in bellum ascivit Iberos,
Belgarumque omnes accumulavit opes.
Regia Francigenum ne ferret sceptra Navarrus,
primus erat furiae, militiaeque, scopus.
Henricus contra, regnis jam proximus haeres,
propugnare suas coepit et ipse vices.
Hinc cruor, hinc rabies ; hinc ruptis, Gallia, frenis
in fera sanguineas excitat arma manus.
Arma Europa frequens, arma Italus, arma et Iberus,
arma Britannus atrox, arma Alemannus amat.
Tympana dispersas strepuere canora per urbes,
audiit omnigenas mobilis aethra tubas.
Ferre Navarraeum nequiit dum Gallia regem,
tranquillum nequiit Gallia ferre statum.
Vere hic ambiguis, visa est Victoria, pennis
Celtarum attritas pervolitare plagas.
Jam tulit Henricus celebres ex hoste triumphos,
jam stetit a Franca, laurea curta, Liga,
una tamen cunctis praecelluit Yvria pugnis,
Hei nimis ardentes Yvria passa duces !
Hic ubi victorem decoravit palma Navarrum,
agmina mox docuit cetera, ferre jugum.
Conflictum memorare juvat. Jam vere rubenti
pingebat tepidam provida Chloris humum :
cum vigilans, cautusque suis Henricus in armis,
post modica pressas obsidione Trecas,
castra locasse ferum, conjunctis viribus, hostem
Yvriae in apricis, non procul, audit agris.
Audit et unanimes in arena stare phalanges,
et Dumenae omnem bella parare manum,
ergo suas in pugnam acies, in tela maniplos,
in conflictum alacres praecipit esse duces.
Duxerat insomnem Regis vigilantia noctem,
praevenitque ipsum, cuncta animande, diem.
Caelo igitur gelidam simul ac dimoverat umbram
Lucifer, Eois jam redivivus equis.
Impiger, ac summos rex tantum acclivis in actus,
nulla sibi indulgens otia, nulla suis,
belligeraturum quo tutior iret in hostem,
qui numerum exploret, velitem obire jubet ?
Audit ab hoste suum superari exercitum, in armis
milia lectorum stare bis octo virum.
Glandifera instantem minitari fulmina Martem,
classicaque auditas jam cecinisse tubas.
Nil numerum Henricus, nil milia tanta pavescens,
corda gerit tacito nil tremefacta metu :
componitque aciem, miraque celerrimus arte,
stare jubet fixis cornua quaeque locis.
Hinc peditum cuneos, gentem inde exercet equestrem,
hunc aliam, istum aliam mandat obire vicem.
Regis ab intento pendebant singula nutu,
solus hic instructor, regula, ductor erat.
Foverat ipsa acies Francorum e sanguine florem,
clara perinde domo stemmata, clara sago ;
heroumque alacres, Comitumque, Ducumque cohortes,
dictosque a prima nobilitate pares.

Et tamen in tanta procerum, cinxere corona
Helvetii ac Rhaeti, Regis utrumque latus.
Ipsius imperio dextram Salodoria habebant
agmina, praecipuo nobilitata loco ;
Clarona, et juncti Suicero foedere Rhaeti
ad laevam signis emicuere suis.
Rex aciem prior ante omnem (quem cornua cristae
candida, Pegaseus quem decorabat equus)
dispositis ut primo hostem conspexerat alis,
jam quasi victorem cernere mente Jovem :
lumina, ad astriferi convertere lumen Olympi,
inque salutares quemque monere preces.
Tum sic affari : "Vos, o fidissima regni
membra, per undantes amne cruoris agros,
tela per et gladios, per aperta pericula vitae.
Per mala, quae tellus, quae parit uda Thetis,
per tot fulmineas jaculata tonitrua glandes,
per Furiarum omnes, Eumenidumque minas,
perque sitibundi discrimina mille Gradivi,
usque in praesentem me comitata diem.
Magnanimas, quod quisque potest, quod quisque solebat
hactenus, instantis quod jubet ordo rei.
Magnanimas, si fata vocant, effundite vires,
rituque intrepidum surgite in arma virum.
Optatus micat ecce dies, qui vindice caelo
offeret in nostras signa inimica manus
asseret iste dies, quam demum cingere frontem
debeat, et quales regia mitra comas ;
cominus astantem dum cernit quilibet hostem,
quisque putet praedam cominus esse suam.
Fortunam accumulat cumulatior hostis, eritque
sicut castrorum, major acervus opum.
Proelia pro Franca sunt belligeranda corona,
Henrico adversos non habitura Deos.
Jus regni violat, generis post fata Valesi,
deberi nobis qui diadema negat.
Qui jubet aeternae defendere jura Themistae.
Debitaque, et meritum reddere cuique suum.
Qui vetat Astraeae justam violare bilancem,
ipse dabit vires auxiliumque, Deus.
Vos modo, vos socii meliore propagine creti,
inclita Borbonicae fulcra, basisque domus ;
stringite ferrum alacres : vocat hostis et alea ; segnem
rumpere nunc ratio, nunc jubet hora, moram.
Helvetico - Francos mecum una intendite nervos,
et praecessurum me comitate ducem.
Primus ego librare meum non terreor ensem,
fortes sors metuit : qui timet, ille perit,
Britones arreptis quas quondam, ac Vascones armis,
quas sensere suo, Santona castra malo ;
quas cum vicinis, Normandia vasta, Picardis,
quas Arar ad ripas, quasque Garumna suas,
has hodie frameas, hos exercete lacertos,
aeternaeque parens Yvria laudis erit.
Strenua praeclaro turgescet pugna triumpho,
praeque coronatis vos celebrabit equis.

Laudis erit ; pro Rege suas acuisse machaeras ;
compensare olim haec omnia, Regis erit.
En praeeo, praeeuntem animis sectamini, et armis :
quae caelum statuet, praemia quisque feret."
Dixit, et accensis tribuit nova pabula flammis :
certamen pyrii primum habuere globi.
Principium fervens, grandique effundere nisu
incoepit vires, agmen utrumque, suas
ventilat ergo hostis, miscetur pulvere campus ;
qui prior exibat, velitum acervus erat.
Illum insultantem, jaculisque immane furentem,
regia nervosa conterit ala manu.
Inde repente omnem tempestas ferrea molem
objicit, et saevo turbine rura quatit.
Prosiliunt plenis examina densa maniplis,
seu peditum cuneos, seu numeremus equos.
Terribiles visu ipso acies, queis nomina lecti
Europae e gremio, contribuere, viri.
Certe ita dispositam telis infringere et armis,
nulla putabatur machina posse, Ligam.
Tam validis sed enim connexa ligamina spiris,
quemque putet nodum Gordius ipse suum,
prospera Borbonii ruperunt tela Camilli,
robore Pellaeum tela imitata ducem.
Heu, Pelusiacos cur non petiere tyrannos ?
Cur non Odrysias agmina tanta plagas ?
Saevit in insontem cur sic Bellona cruorem ?
Quae sceleri tantum jura dedere locum ?
Bosphorus effrenis, sociaeque Propontidos orae,
pressaque Bistonio barbara regna jugo,
si sociata tuas sensissent, Gallia, vires,
ante tuos poterant procubuisse pedes.
Caecus amor ferri est. Ut bello classica signum,
et balistarum monstra dedere sonum :
ipsa extemplo omnes, Majestas regia, turmas
anteit, utque ingens Mutius, agmen agit.
Stare tamen fixo Laurentium in ordine ; et omnem
militis intrepidi mandat obire vicem.
Visa fuit medios penetrare interrita nimbos,
Bellerophonteo ceu veheretur equo.
Dux erat, et miles. Quod Regis lingua cohortes
jusserat, id dextra praestitit ipse sua.
Induperator erat, Martem clamante tumultu ;
seria ut intonuit buccina, miles erat.
Miles erat, quem nulla operum, quem nulla laborum,
quem ferri, ac pyriae nulla pericla pilae,
nulla fatigarent discrimina Martis, anhelam
seu comitata famem, seu conitata sitim.
Haec quamquam "ek tripodos" tibi narrat epistola, forsan
difficilem multis est habitura fidem.
Dimidiam rex ipse fere pugnaverat horam
in medio, paucis agmine, cinctus equis :
fulmineumque rotans nervis gliscentibus ensem,
perque acres cuneos, agmina perque ruens,
funera magnanima fecit creberrima dextra,
terreri armisonos nescius ante globos,

nescius objectas seu formidare sarissas,
sive minabundis vertere terga tubis.
Scanderbegi harpen poteras reputasse, vel ipsam
hic Scanderbegi belligerasse manum.
Victor ubi rediit, respersam sanguine frontem,
sanguine perfusas vidimus esse genas.
Purpureus toto manabat acinace rivus,
immaduitque ipsum rore rubente sagum.
Crista cruorifluas stillabat et ocrea guttas ;
nec tamen ulla sui gutta cruoris erat.
Funera vulneribus rex accumulavit, in ipso
non habuere ullum vulnera, rege, locum.
Integer a tragica, salvusque, redibat arena,
telaque regalem non subiere sinum.
Et tamen armatus cristarum pondere conus,
quaeque supra volucrem penna nitebat equum,
Henricum e tota poterant discernere turba,
majestate hominem nuspiam habente parem.
Caenea Perrhaebum, qui laedi nesciit armis,
fama erat Yvraeas pervolitasse plagas.
In tam praeclari bona nempe perennia sceptri,
munierit Christum, dia Pronoea, suum.
Nos ubi tam forti certantem pectore Regem,
cernimus, armatas nil metuente manus :
tela citi unanimes aciemque movemus, et omnem
pro debellando quaerimus hoste viam.
Proeliaque exorsi funesta acerrima pugna,
vulnera suscipimus, vulnera plura damus.
Conserimus fervente alacres in pulvere dextras,
nulla armis superant otia, nulla viris.
Ter socias conata fuit penetrare phalanges,
ter retulit victas, Unio caesa, manus.
Constitimus pariter, ceu saxea in aequore moles,
frustra indignantis fluctibus icta maris.
Sic vero immotam dum respicit Unio molem.
E statione suos ipsa movere pedes,
Helvetico. Francis laurum concedere turmis,
ac desperatum verrere calce solum.
Ibant, qui poterant ; emergere quippe nequibant,
abscidit atra suam queis Libitina viam.
Horum ingens numerus. Peditum pars pleraque, nostram
praeter eos, ultro qui petiere fidem.
Ter quingenti equites. Flos primus in hoste : tribuni
ortu ac progenie nobiliore sati.
Eminet in turba hac Comes ipse Egmontius, aurei
velleris, ac rarae dexteritatis, eques.
Inclitus ille heros belli induperator, et inter
Belgarum illustres Praetor et alpha duces ;
regis, in affines, late dominantis, Iberos.
Dum coryphaeon agit, tristia fata subit.
Hanc quoque fert Nemesin Dux Brunsuicensis, amaram
qui cum alii atque alii sustinuere necem.
Cetera, ne totas laniaret Parca cohortes,
agmina pennigerum sunt imitata deum.
Perstitit una phalanx, erectis strenua signis,
Pieridum clara crescere digna tuba.

Haec cuneis deserta suis, deserta maniplis,
utraque cum celerem carperet ala fugam.
Mercurium pertaesa stetit ; stetit instar ahenae.
Machina quam nusquam terreat ulla, petrae.
Agnovi popularem aciem. Contraria Regi
duxit ab Helveticis, arma virosque, jugis ;
decrevitque simul, potius taeterrima mortis
spicula, quam foedae nomina ferre fugae.
A profugis Rex ergo redux : "Quid nominis isti,
tam graphice stantes e regione, Viri ?
Unde domo haec acies ? Num scirpi in arundine nodum,
inquit, et in sicco pumice quaerit aquam ?"
Sola haec compositi servatrix ordinis, ausit
Regiam in armisono causam agitare foro ?
Pectora non hominum, sed pectora habere videntur.
Qualia Massylas constat habere leas,
hic ego praecisim, magnorum o gloria Regum,
curru Tarpeios scandere digne lares ;
haec in sanguineo stans imperterrita campo.
Veste peregrinum turba professa gregem,
Helveticis nobiscum una processit ab oris,
Galliae ut oratam sedula ferret opem.
Gens eadem, sanguisque sumus ; plebs utraque Regni
ut Majestatem protegat, arma parat.
Haec licet a cunctis stet desolata catervis,
nulla etiamnum animi signa paventis habet.
Celtiber erupit, fecit divortia Flander,
terga dedit pronis, Teuto Italusque, lupis :
excessere omnes, aut procubuere cohortes,
qui tenuere animam, non tenuere pedem,
Helvetus in saeva solus perdurat arena,
solus inassuetam nescit amare fugam
indole stat patria. Nobis quos mutua jungunt
foedera, qui fratres gente et amore sumus,
absit, ut affinem maculemus sanguine stirpem,
pro regno ut pugnent, Gallica jura jubent.
Aequales hodie si conjurata Metellos
Francia, in Yvraeis, nacta fuisset, agris :
Staret in ambigua tua forsan laurea libra,
quam tibi nunc aequi jure dedere Dii.
Rex curtim : "Helveticae vivantque, abeantque catervae,
vita decet tantos, non laniena, viros.
Regia Suiceram non obruet ira phalangem,
quondam etiam nostrum proteget ipsa caput
virtuti vitam, pretium constantiae, honorem
indoli, et omne decus, quod meruere, damus.
Quae Fama Helvetios nullis trepidare periclis.
Nec nisi sola Jovis tela timere, canit ;
saepe licet tanta nostras oppleverit aures
buccina, hyperbolicis non fuit usa tropis.
Vivat, et a toto monumenta perennia regno,
natio tam fortes, tam generosa, ferat."
Dixit, et admirans tam fertilem ab hoste triumphum,
tot spoliis fartos, quos peragrabat, agros,
ac tot balistas, tot stantes rure covinos,
tot vexilliferis suppara adempta suis ;

"Caeli, ait, hoc opus est : sit gloria prima Tonanti,
qui palmam ac dignas rege paravit opes."
Vos quoque legitimi jus propugnantia sceptri,
a Rhaeto - Helveticis agmina missa plagis ;
vosque o magnanimi Francorum e stirpe tribuni,
Martium ab Hectorea posteritate genus,
vos favor Henrici, vos non moritura manebunt
praemia, dum solitis Sequana curret aquis.
Gallia liligera dum surget ad astra corona,
Helvetico. Gallum surget ad astra decus.
Haec pugnae series, ubi rex dum perdidit hostem,
iste sibi interitum condidit, ille thronum.
Hic tibi, ne reliquae stet inanis pagina chartae,
ad dere de tanto Principe pauca libet,
bello majorem, generosa Lutetia, regem
autumat ipsa suos vix subiisse lares.
Pauca ex innumeris si commemoraro, putabis
saecula Pancratium nulla tulisse parem.
Vidi ego (nam cari me amplectitur instar Achatis,
paene sibi nullo passus abesse loco)
vidi ego divinas hic elucescere dotes,
vidit in Augustis quas neque Roma suis.
Pullulat hic Magni majestas Caroli ; abundat
virtus Martelli, gratia Lotharii.
In Duce Borbonio, clarum florere Pipinum,
Gallia tot palmis nobilitata, videt.
Cernit et ipse altis rex Ludovicus ab astris,
Virtutum eximias in pronepote faces.
Ingenii summo praecellit acumine, quantum
vix ego Telemachi credo fuisse Patri.
Nestora judicio, rationis flore Thaletem,
indolis egregiae laude, Bianta refert.
Graiugenum nec scita adeo sapuere Sophorum,
ut promanantes Regis ab ore sales :
ut nullus dubitem, tam miro aspersa lepore
gnomata, quin plenos sint paritura libros.
Concilium magnis quoties de rebus initur
(quaestio seu belli, sive sit orta fori)
vota licet gnari promant arguta synedri,
consilio juvenes Rex praeit, atque Senes.
Hactenus illa animi solers prudentia, punctum,
utile dum dulci miscuit, omne tulit.
Fulminet arreptis quam prosper et acer in armis.
Gallia suscepto sat probat ipsa jugo.
Cette inter lituos est alter rebus agendis
Hannibal ; Aemilius robore, mente Conon.
Instar Alexandri, praeit impiger ipse, per undas.
Per juga, per gelidas, agmina fessa, nives.
Solus in objectum, ceu Cocles Horatius, agmen
irruit utque leo saucius ungue, furit.
Herculis invictam reputares fervere clavam,
Henrico frameam circumagente suam.
Marte suo victos toties calcavit acervos,
Armatam quoties protulit ense manum.
Ensis ei spolium, cassis cristata tropaeum,
certamen laurus, pugna triumphus erant.

Romulidum electus quid ni cum Caesare nervus,
Itala dum Gallis intulit arma, stetit ?
Ipse tamen denis certavit, et amplius annis,
ante triumphales quam meruisset equos.
Dicere Borbonio queat hic de Principe : "Magnos
olim parturiit Roma, Navarra parit ;
Gallia dat sceptrum, Verum haec qui ponderat, aiet,
talia quae potuit dextera, dia fuit.
Omnigenas legionum alas Dux fudit egenus ;
fregit et arma hostis tam locupletis, inops :
rex absque imperio, sine belli robore princeps,
citra castrenses induperator opes.
Sic tamen abjectus, quam prodigiosa peregit
proelia quam miris nobilitata modis ?
Quadraginta ipsis interfuit ordine pugnis,
nec nisi victrices rettulit inde manus.
Castella enumerant, urbesque hucusque trecentas,
victae ad regales quae cecidere pedes.
Pauperi et extorri, sine regno et milite Regi.
Submittunt acres jam sua genua Duces.
Hoc victore tamen, quam plurimi in agmine victi,
sub Jove conclamant mitius esse nihil.
Juratos hostes compensat amore, refertque
supplicium meritis regia dona reis.
Haec nihil esse ratus, celeberrimum in orbe triumphum,
sese ipsum potuit dum superare, tulit.
Exstitit ergo sui, qui vicerat omnia, victor,
introiitque illam, quam scidit ante, ratem.
Introiit Petri, celebrem de numine puppim,
pectore Romanam fassus, et ore, fidem.
Victori tanto suprema haec laurea pluris,
quam Lernae excetram si jugulasset, erat.
Gallica si pergant tam magnos, Lilia, reges
in tam florigero progenerare solo ;
si tam felices tulerit stirps ista nepotes,
(quod sperare orbem publica jura jubet)
quid regno hoc poterit, vel majestate, vel armis,
in mundi omnipara clarius esse plaga ?
Terribiles quacumque fremant ex parte leones.
Gallus hic ut cantum coeperit, horror erit.
Hostibus horror erit : nobis quos mutua jungunt
foedera, magnificus non nisi tutor erit.

## DE HELVETIORUM POLITIA, ET DISCIPLINA BELLICA.

H3_08

Praecipe, non ora. Mandandi semper amico
copiam amicus habet. Quamquam id, quod, amice, rogasti,
largius ipse tua possis depromere, ab arca.
Helvetiae te ducit amor, te flosque decusque
telluris patriae : normam inde typumque basimque,
foederis, et pactas majorum tempore leges,
comprensas modica satagis cognoscere charta ;
ut liquidum fiat, quibus olim condita fulcris

patria, tam laevo bacchantes turbine nimbos,
tot furias, tot ab hoste minas, tot ab orbe paratas
luserit insidias ; vel quanto numine Dium
continuare suum Respublica nostra vigorem
quiverit, ad quarti tam turbida tempora Saecli.
Haec, Conrade, tui licet adversaria possint
promere Musaei : legem nihilominus almae
forsan amicitiae ne me violasse queraris,
serviat ista tuo dignanter epistola voto.
Ne tamen ingrata veterem lolligine crambem
ipse tibi recoquam, vocemque intendere dicar
in melos Archilochi, curta te absolvo sinopsi.
Cum nimis elatas tumefacta Superbia cristas
tolleret, atque humili submissa Modestia vultu,
ludibrium solemne foret : donante supremo
Numine, cui certum est numquam placuisse superbos,
displicuisse humiles ; calcato syrmate fastus
coeperat Helveticum vires acquirere foedus
tollere cervicem, violentum e finibus hostem
pellere, et egregiis virtutem extendere factis.
Propositi fuit Alpha Deus, semperque cupitae
semita justitiae. Nihil hac antiquius umquam,
nil potuit nostris jucundius esse colonis.
Floruit ? Et dulcem sortita est Patria pacem ?
Justitiae cunctam rexit reverentia plebem.
Usta fuit flammis, et acerbo patria bello ?
Astraeam insonuit ; pro fulmine Martis, olivam
obtulit ; et blandae cupidissima pacis, amicam,
judicis arbitrio studuit componere causam.
Foedera composuit ? Juri conformia semper,
ac Themidi decreta tulit. Defensio rerum
mutua, et oppressi tutela, salusque popelli,
Helveticas in tela manus, in bella lacertos,
aegrius adduxit. Si pacta et foedera primis
discutias jurata Viris ; cum saeva libido
jura daret nostris etiamnum exotica terris,
repperies pravae tunc solum indicta fuisse
proelia nequitiae ; nostrosque hoc tempore Patres
Romano Imperio, Satrapisque a Caesare missis
gessisse obsequium, solosque odisse tyrannos,
dum nimis intensus subsistere nesciit arcus.
Foedera si repetas, Cantones inter et Urbes,
et cum finitimis, diversa aetate, dynastis
condita : prorumpes in talia denique verba,
cepit ubique Deus primas, Astraea secundas,
Pressit et hostiles defensio justa furores.
Multa quidem Patriae miraris bella, stupesque
vaginae toties productum e carcere ferrum ;
detestata, tamen, quin imo coacta videbis
arma, per Helveticos vibrata fuisse colonos,
indignis quando plebs concita restitit ausis.
Austriam et Alberti genitos e stirpe Camillos,
egregia virtute duces et ad ardua natae
indolis heroes, quam saepe allecta studebat
patria, pacificis a bello avertere pactis ?
Judicis arbitrium, definitivaque juris

decreta amplecti, profugamque reducere pacem,
hei quam sollicito petiit submissa precatu ?
Cassae abiere preces : annis fremuere ducentis
contra Suiceros, Alemanna tonitrua, Pagos.
Bello importunum, Burgundae gentis Achillem
Carolum, ab armata famosum Heroa Minerva,
nonne perhumanis Legatio seria verbis,
atque refundendi promissio libera damni,
a tam praecipiti studuit revocare phrenesi ?
Hercle ubi tranquillam Regesque Ducesque, quietem
sunt aspernati, lateque furentibus armis
Helvetiam aggressi ; comitata incommoda Martem
sunt etiam experti. Juvat hic memorare statutas
a Proavis leges, quas addictissima juri
patria ad aeternam servari jussit amussim.
Pax mundi Euphrosyne, pax gratum hominique Deoque
semper delicium, non infringatur ab ullo
Cantone Helvetico : fera nullus proelia condat,
nullus in arma ruat. Martique repagula laxet :
juris jurandi ni sacramenta, supremos
ante magistratus sancte trutinata, probatam
reddiderint causam ; rerumque examine facto,
publica legitimum dicant suffragia bellum.
Alter in alterius tutelam ac commoda spiret
Helvetus : iste suum sibi nanciscatur Orestem,
ille sibi Pyladen, habeat Patroclus Achillem,
sit Pythiae Damon, sit fratri frater ; amicas
non detrectabit, si res desideret, alter
addere suppetias : pellem pro pelle, cruorem
pro socio det quisque suo ; sit nescia fuci
gratia, supremas maneatque fidelis ad aras.
Venalem quisquis, seu cymba, sive quadriga
vexerit annonam (sive hic oriundus ab ipso
sit patriae gremio, sive hospes, et advena) salvum
circumagat quacumque pedem : sit ab hospite tutus
institor, et cupidae sine damno, ac fraude crumenae,
securum peragat, citroque ultroque, meatum.
Helvetiorum ullus nec sit, nec fiat amici
pignus et arrha sui. Collatis denique signis,
pugnam in sanguinea simul atque indixit arena
praetor, et alternae coiere in proelia turmae ;
dimicet Herculeo gens conterranea ritu :
det virtus sua cuique animum ; speque ubere lauri
nemo Virum titubet ; popularem nemo colonum
deserat, et calido Bellonae in pulvere stantem
sive ope destituat, seu campum verrere tentet.
Durandum Helvetio est, seu Mars truculentus aperto
fulminet in campo, seu vis et ahenea belli
machina, munitos vallo septemplice muros
impetat, aut celsas balistis arietet arces.
Tessera talis erit : duranti fama perennis,
nutanti aeternum dabitur per saecula probrum.
Quin etiam accepto si vulnere fiat, et ictu
saucius, ut laesos ultra exercere lacertos
miles, et assueto nequeat contendere ferro,
inceptae quamquam sit corpus inutile pugnae,

non tamen erumpet, nec sponte suapte, calentes
destituet pugiles, donec crepitantia cessent
tympana, et inflato tubicen canat ore receptum ;
id quoque, seu stantes exercitus acer in hostes
ventilet ; obsessam seu ferro territet urbem.
Nec spoliis inhiet, nec visam invadere praedam,
intempestiva, pubes temeraria, flamma,
cogitet : assensum donec concesserit ultro
praetor, et obtentam conclamet adorea palmam,
publica quo praedae divisio fiat, in unam
et spolii et lucri fiat congestio massam.
Templa, Deoque sacras ne quis contaminet Aedes,
lex Rhadamanthea districtior imperat urna.
Helvetiorum ergo quiscumque sit ordo, cavebit
coenobiis ne damna struat, ne sacra profanet
atria : in expositum ne, clamve palamve, sacellum
irruat ; aut pravo stimulante Mimallonis oestro,
caelo auctoratas petulanter polluat aras.
Hostica ni forsan, tali sub schemate, turba
coenobiis templisque inhiet, furtimque sub istis
quaerat asyla locis : poterit sic nempe prehensam,
Helvetiorum acies, facto moderamine, turbam
flectere, et armatas armis compescere dextras.
Nulla tamen sacrisve adytis, Divumve sacellis,
nulla usquam augustis fiat pollutio fanis,
pestis et ira deum est ; terramque axemque, Stygemque,
Japetique omnes, vindictae in tela, nepotes,
Numinis aeterni cum majestate, lacessit,
sacrilegas quicumque manus in limina divum
injicit et Superis devotam exaugurat aedem.
Ille quidem Phlegyaeque trucis, nimiumque scelesti
aemulus Autolyci, tibi quondam erit, Aeace, dignus,
in lare Tartareo Tityi qui semper edacem
viscere pascat avem ; pondusve volubile saxi
Sisyphio squalore rotet ; vel perpete poena
volvat Avernalem, misero cum Ixione, sphaeram.
Tutus ab armigero sit milite, et impete, sexus
femineus ; vertatque sibi quicumque supremo
Helvetus opprobrio, genus hoc imbelle, vel armis
laedere, vel foedo violare ferociter ausu.
Ergo, Hymenaee, tuis seu jam sit dedita sacris
femina, virgineum recolat seu corpore florem,
militum ab insanis sit salva et libera technis.
Tentet in infirmum quid virtus Helveta sexum ?
Si tamen arreptis imitetur Amazonas armis,
si quoque tela manu, silicesve, facesve capessat,
si struat insidias, si tendat subdola casses
feminei sentina gregis, si porrigat hosti
auxiliatricem nutuve, oculove, manuve,
quod vafra novit, opem, vel si clamore molesto
prodere nostratem cupiat, seu perdere, coetum :
flagitii delicta luet ; poteritque nocentem
pro gravitate rei, Rhamnusia plectere pestem.
Contemerare istas si quisquam effrenibus ausis
praesumat leges (seu sit de stirpe Menalcae.
Seu lixa e trivio, sive ex Magnatibus ipsis

Publius aut Tacitus) gemino si teste probatum
constiterit facinus, fortunam protinus omnem
perdidit, et vitae jacturam fecit et aeris
cuncta magistratus sibi dicet propria, sontem
pro meritis ad rostra trahet, sumetque decentes,
pro perpetrato flagrionis crimine, poenas.
Et quia vita hominis, fortunae obnoxia telis,
ancipitem versare rotam, magnaeque videtur
aemula militiae ; dum ferrea saecla perennes
progenerant rhonchos ; dum rara est gratia fratrum,
vix gener a socero, vix hospes ab hospite tutus :
inter et Helvetios si quondam jurgia pagos
dissona prosiliant, gensque invictissima bello
in sua, teligera, conspiret viscera, dextra,
exemplo Ausonidum, nascenti pabula flammae
ocius, ante, suas quam tollat ad aethera vires,
subtrahat ingenua patriae prudentia cura,
ne populum invicta qui non nisi victor arena
externae toties jam contudit ora Medusae,
intestina suo perimat Medea veneno.
Ista quidem gracili sic declarata Camena
regula quam patrius sanxitque tulitque Senatus,
donec ab armifera fuit observata caterva,
concomitantem habuit, per tot discrimina rerum,
cunctipotentis opem ; meruitque hinc inde celebres,
quos vel Melpomene tragico suffulta cothurno
personet, et Phoebo canat insufflata, triumphos.
Tempora si pacis trutines, quid honestius unis
obtigit Helvetiis ? Quae gens studiosior aequi ?
Gratior in Superos, rectique tenacior usquam ?
Scintillat teneris fomes pietatis ab annis,
et cum materno potatur lacte, decorus
justitiae succus. Vesana superbia, et hydrops
tristis avaritiae, fervorque insulsus habendi ;
livensque ambitio, fastusque tumorque vetustos
nesciit Helvetios : amor hosce timorque Tonantis,
et sine fraude fides, et prudentissima cordis
rexit simplicitas. Modico contenta paratu
mensa dapes tribuit, quae crimine et arte careret.
Condiret patrii quam lexque saporque salini ;
quae luxus Siculos, et quae Sybaritica numquam,
fercula quaesisset : quod patria rura, gregesque,
quodque Ceres operosa dabat, supplevit opimas
Sicaniae cenas, ac prandia stulta Neronis.
Et tamen hospitio peregrinum excludere, magni
instar erat sceleris : secura hodieque viator
compita, et humanos sortitur ubique colonos.
Vix terram invenias, quamquam ultima Bactra peragres.
Cura peregrinis ubi tanta ministret egenis.
Quaeve magis foveat tectos centonibus artus.
Jupiter humanae rursus sub imagine formae
si mutare larem, socioque Hermete pararet,
pauperis assumpta Mopsive Codrive lacerna,
visere Terrigenas : quamquam Cereremque, stipemque,
hospitiique sacrum caperet vix uspiam honorem ;
Helveticas certe si demum inviseret oras,

Baucis ubique frequens, et creber ubique Philemon
exciperet blando sacra mendicabula vultu.
Ut mirum non sit, si, qui coluere, colantur.
Helveticae si in templa casae, vepretaque in hortos
hispida, et illustres caulae mutentur in aulas.
Haec populi lex est ; dare dextram cuique, sinistram
nemini, et ad rectum disponere cuncta tenorem.
Degenerem sed enim merito nunc jure Mimesin
odimus, et nostri cacoethen carpimus aevi.
Quod nisi deposita vigilans solertia larva
passim irrepentes exauctoraret abusus ;
exueret veteres hodierna Libentia laudes.
Frugales Curios, et parci fercla Zenonis,
portentosa nova tentant abolere sagina
prandia Luculli. Pretiosa resurgit Apici
lautia, et Assyriae fumant hinc inde culinae,
Lentulus aut Cicero, Fabiusque aut Piso, frequentes
non onerant quadras. Auri renovatur orexis,
pullulat ambitio ; paulatim et candor avitus
nigrefit, ac virtus, quae compertissima nostris
arrha fuit proavis, jam in pube senescit et alget.
In circumcisi passim tolerantur Hebraei ;
simplicitas antiqua labat, vilescit amictus
pristinus, ac ludens nimium bacchatur ineptis
Proteus in caligis ; et quidquid futile demum
experta est alibi jam castigata Mimesis,
approbat, ac stabiles pedetentim vertit in usus.
Hoc, inquam, patrio gliscens cacoethes in horto,
ne profecturas possit, venientibus annis,
figere radices : solidum ne exstinguere florem,
neve illaudatos tolerando licentius ausus,
sternere damnosae fulcrumque basimque ruinae ;
cura Magistratus, veterum reparatio morum,
tuque, tuique pares, clavum, Conrade, tenentes
lege etiam clamante cavent : nisuque virili,
in sibi commissa quivis tellure, cavebunt ;
ne sua deformi desint cataplasmata psorae ;
extera ne perdat genuinum excetra decorem ;
calcato Crassus ne jure evisceret Irum ;
major inhumano ne glutiat ore minorem ;
improba pestiferum ne gestet abusio sceptrum
utque statutarum custodia seria legum
augeat Helvetiae veneranda encomia, sicque
laudemus veteres, ut eorum utamur et annis.

## DE PARAENESI EIUSDEM, FACTA AD HELVETIOS STANZII CONGREGATOS ETC.

H3_09

Ille ego dumosae grandaevior incola silvae
   infimus Helvetici vermis et umbra soli :
quin et projecta terrarum vilior alga,
   dignantur nimiis quem tamen astra bonis.
Ille ego Nicoleos, cui quondam agnomina "Rupes"
   ac gentilitiae, clara, dedere petrae,

Helvetiis sincera omnem cum pace salutem.
Ac semper placidum, desuper opto, Deum.
Gratius in prima quod possim optare tabella,
Undervaldiacas nil datur inter opes.
Qui cupis aetheria vesci felicius aura,
in Domini firmam fige timore basin.
Ille Parens rerum, geminos qui succutit axes,
quem tremit Empyreas turba beata plagae,
cum sit principium nostratis, et alpha, vigoris.
In quo motamur, vivimus, atque sumus :
promeret aeternum mortali a semine cultum,
servitiique omnes, orbe in utroque, vices,
lubrica divinum nec inertia tollat amorem,
nec vaga mundani sollicitudo fori.
Haec habeat primas, ferat altera cura secundas,
nec tamen a vero deviet ulla scopo.
Felices nimium, quos haec solertia, summi
ut primo inquirant regna Tonantis, habet.
Divitias, palmaeque amplos victricis honores,
donaque fortunae prosperiora ferunt.
Et vos, Helvetii, vos terque quaterque beati,
viveret indultis si sibi quisque bonis.
Nunc quia non levium lis ac decisio rerum
inter conscriptos, est agitanda, Patres,
si vacat exiguae dare tempus et otia chartae,
pauculaque inculti verba notate Senis.
Mandat amor Patriae, quae me mihi carior, orto
heu nimis infidam, tollere ab igne, facem.
Mandat et angustae nemoroso e Margine cellae,
in bona, sollicitum, publica, ferre pedem.
Unicuique sui si incumbit cura propinqui,
cura super patrio stat mihi justa solo.
Fallerer, e nostro si quid praescribere, si me
auderem tantis aequiparare viris.
Quam vacuam sit grande mihi, quam curta supellex,
quantaque venturae mortis imago, scio.
Helvetiis sed enim quam fastidita simultas,
quamque inconveniens sit quoque rixa, scio.
Vos importuno ; fidissima pharmaca, morbo,
et febri medicam non renuetis opem.
Heu nimis infida consanguinitate ligatas,
virtutem in terris, invidiamque, deas !
Enituit Virtus in apertis vestra periclis
hactenus, indomitos edomuitque Duces :
et palmam spoliis, famamque decusque tropaeis
addidit, et partas multiplicavit opes,
quis modo virtuti livorem annectere ? Vestrum,
quis jubet, ut nigricans occulat umbra jubar
tam graviter partae, divisio mutua, praedae,
num modo fraternae scissio pacis erit ?
Carolus ille sui, fama celeberrimus, aevi
Scipio, Burgundae gloria summa domus,
nesciit Helvetios dum vivus perdere ; fluxi
nunc irretitos, perdat, amore lucri ?
Intempestivas animis sedate querelas,
argumenta gravis perniciosa luis.

Tollite scissuras : ortae victoria rixae
praecellet multis cuncta tropaea modis.
Quid juvat, externo tot ab hoste capessere palmas,
victorem interni non tamen esse mali ?
Credite Filioli : parvas Concordia vires
erigit, et summum tollit ad usque gradum.
Credite Filioli : summas Discordia vires
supprimit et certam mergit ad usque stipem.
Foederi, et Helvetico, concors symphonia, flori
afferet augmentum, quae tulit ante basin.
Proxima diviso quod sint sua funera regno,
vox incarnati praedicat ipsa Dei.
Illa tot ac tantis celeberrima Roma triumphis,
arduum in edomito quae tulit orbe caput,
nonne intestinis attrita emarcuit armis,
quando hic majorem nauseat, ille parem ?
Machina, ab Assyrio quae jussa est surgere Belo,
condita sidereas, Turris, ad usque plagas,
crevit in horrendam, fausto conamine, molem,
dum labii unius quisque colonus erat :
verum ubi divisas, arx haec Babylonica, linguas,
hincque altercantes sensit, et inde, fabros ;
desiit incoepti culmen mirabile muri,
et discors totum lingua diremit opus.
Sic in prodigiis res primum censa, probrosum
post in ludibriis coepit habere locum,
alloquor expertos. Pulcherrima foederis icti
fabrica, discordes donec abesse manus,
donec in Helvetico beneconsona barbita plectro,
et conspirantes viderit esse choros :
stabit, ut in solida rupes Atlantica petra,
Gradivi nullis excutienda minis.
Prodromus excidii si vero rancor, in istum
obliqua invidiae semina spargat agrum :
libera pestifero succumbet Patria tabo,
livoris comitem nescia ferre luem ;
prodigiumque isto quod nunc reputatur in aevo,
mutato fiet nomine : Ludibrium.
Parturit omne bonum, rerum Concordia custos :
dissidium terris parturit omne malum.
Fasciculum persaepe cati meditare Sciluri,
Helvetiae salvum qui cupis esse statum.
Frangere connexos sociali foedere fasces,
nec poterit vafris Daedalus ipse dolis ;
nec famosorum toties cantata Gigantum
dextera, centimani nec furor ipse Gygis.
Si secus, exutos concorde ligamine fustes
disrumpet modica, pusio quisque, manu,
Lesbium ab emerito pulsetur Arione sistrum,
destruet una omnem, dissona chorda, lyram.
Plus, o Helvetii, plus est servasse receptum,
quam belli studiis obtinuisse, decus.
Inclita Libertas sors optatissima Dium,
quae vero Helveticas est caput inter opes,
hei, quam terrificis fuit olim asserta periclis ;
innumero quantum cepit ab hoste malum !

Hanc ne Taenariae mutilentve, adimantve sorores,
queis tegit hirsutas multa cerasta comas ;
foederis incoepti non ultra extendite saepem,
quam bene discussae postulet ordo rei.
Neve peregrinis vos ultro intrudite causis,
ne vitiet puras pix aliena manus.
Nec sine delectu stabilite exotica vobis
foedera : prudentem res petit ista moram.
Sic humanarum pulcherrima et optima rerum,
tutior in cunctis, pax erit alma, locis.
Sit procul oblatum, quo patria venditur, aurum ;
quamlibet occultas quod reserare seras,
fulmineo quod saxa potest pollentius ictu,
moeniaque arcanis quod penetrare viis :
libertati, inquam, contraria munera, quae vos
de patriae reddant proditione reos,
letifero censete magis vitanda colubro,
vipera, nec vestrum vellicet ista sinum.
Et quia per vastum Respublica quaelibet orbem
praeponi reliquis debet avetque lucris,
temnite avaritiam ; plusque incessanter habendi,
trans Nabathaea, avidam pellite, Bactra, sitim.
Pergite sollicitam pupillo tendere dextram,
ejusdemque ratas esse jubete preces.
Nec date difficilem viduae clamoribus aurem,
introeat vestrum causa utriusque forum.
Sic humiles, censique tribu de paupere, pergent
vos patriae veros nominitare Patres.
Sic qui pupillos viduasque inopesque tuetur,
uberiore istam reddet amore vicem.
Helveticos inter, generosa o nomina, cives,
libertatis ubi grandis habetur honos,
undique terrarum, nolite adscribere, pulsos,
aut quacumque vagos e regione viros.
Ac licet egregiis firmati in proelia nervis
nulla sciant juvenes otia, nulla senes.
Vos tamen illato ne quemquam offendite bello,
occlusas Jani nec reserate fores.
Candida puniceo pax anteserenda cruori,
libera per tutas stetque meetque vias.
Causa tamen vestras si extorserit aequa secures,
exita, non segnes, vertite in arma, manus :
arma fugate armis, vim vi propellite, ferre
hostica ab invasis fundite tela focis.
Pro Patriae flammis aequas intendite vires,
subdique indigno ne tolerate jugo.
Inculpata tamen sint proelia vestra, nec aequum
vel gladio excedant, vel feritate, modum.
Ante tamen reliquas, primum lex unica punctum
obtinet, estque rei summa, "Timete Deum".
Quaeque homini vastum simul observanda per orbem
dogmata, cunctipotens ille Monarcha dedit,
fixa tenete animis : latumque, cavebitis, unguem
extra legitimae currere saepta viae.
Quamvis centoculus nec lumine percipit Argus,
auris meninga nec caput ulla sua :

terrigenum nemo penetravit corde, refundat
praemia quanta Timor, quanta Tonantis Amor.
Presbyteris (quos esse Dei scit quisque ministros,
qui cymbae clavum nobilioris habent)
conveniens reddatur honos : substare notetur
lubrica, compositae, si quoque vita, togae.
Quaeque supersolitam clamantque, docentque, cathedram,
vos in morigerum, quisque, referte sinum.
Inde sacerdotum si quis fortassis honesta,
intret aberrantes, a ratione, vias ;
doctrinam exosis praeponite moribus : auri,
perstat et in medio, visque, valorque, luto.
Frigida, per cupreos, manans e fonte, canales,
non minus humanam temperat, hausta, sitim ;
fistula currentem, quam si vehat aurea, lympham ;
quod dedit hinc aurum, porrigit inde cyprum
sic in dispositas, divina charismata, mentes,
aeternus vivae fons et abyssus aquae,
per leviorem aeque potis est infundere Mystam,
ac fama insignem candidiore virum.
Foedere adhuc vestro (sic vos exhortor, et oro,
nec feriat nostras ulla repulsa preces)
dignari geminas non detrectabitis Urbes,
quas sana. Et vitreis Arula lambit aquis ;
jungite belligero Solodorum illustre Friburgo,
et conjuratos inter habete locos.
Heroum hic flos est : hic Palladis utraque virtus.
Stirps ibi praestantum fulget abunda virum.
Hactenus in vestro Cantones octo vigebant
foedere : Cantones jam numerate decem,
Numinis haec mens est. Urbs proderit utraque vobis,
utraque praeclaram suppeditabit opem.
Helvetiae, quod certa monent praesagia, stabit
grandis ab hac Turri, grandis ab Arce, decor.
Ad calcem propero. Paucos numerabitis, annos
cum mea jam gelidum texerit ossa solum ;
terra feret mixtas in Relligione Chimaeras,
et contra solidam bella cruenta Fidem.
Et scissura frequens, et pugna acerrima mentis,
et metamorphosis plurima gentis, erit,
ancipitem divisa feret Respublica sortem :
illa quidem sentes eliget, ista rotas.
Vos genus Heroum, vos aemula rupis ahenae
pectora, ab Aeolio non agitanda Noto :
vos mea sollicitis hortatur epistola votis,
et monet, atque iterum vos iterumque rogat :
Discite justitiam, sincero insistite calli,
in bivio rectam providi inite viam.
Spiritui (qui multa vago dictare susurro,
multa solet vanis illa queare strophis)
praecipitem ne cuique fidem concedite : ab almo,
quaerite, num veniat spiritus ille, Deo.
Nequitiam fraus multa tegit : dum saepe decorum
lucis in aligerum vertitur ipse Satan.
Omnia maturo trutinate examine, pravis
ne seducantur Curia, plebsque dolis.

Sic emersuras hac tempestate procellas,
et conjurati turbida monstra sali,
laeta salutiferis superabunt carbasa ventis,
stabit et in tuto vestra carina vado.
Stabit in optato Libertas aurea portu,
ipsius auctorem si meminisse Deum,
tollere caelestem si pergat ad aethera dextram
patria, tam miris nobilitata modis.
Si tam magnificas haec Helveta natio dotes,
quas vix in terris altera, nacta fuit,
si victrix, inita, toties contrivit, arena,
qualibet instructos machina et arte globos,
horribiles bellantum acies si saepe coegit,
deserto trepidam pulvere, inire fugam,
si patria invisos repulit de sede Tyrannos,
libera ab externo si colita arva jugo :
si modico immensas pessumdedit agmine turmas,
si spolia, et largas accumulavit opes,
ardua si crebris penetravit sidera palmis,
omnigenoque gravem fecit in hoste metum :
respicite Auctorem. Decus omne, tropaea, triumphos,
quicquid et obtinuit, Numine freta tulit.
Prudens simplicitas, tumidosque exuta cothurnos,
conscia mens recti, nuspiam amica doli,
dira hostis quoties arma infremuere, Tonantis
praesentem toties obtinuere manum.
Olli (seu pulsis oriatur Phosphorus astris,
seu Tartessiacas Hesperus intret aquas)
aeternum, Helvetii, Paeana, aeternaque laudum
munera, post gratas, ingeminate preces.
Ipsius in vestram, quanta, heu, benedictio, terram,
et quam munificae defluit imber aquae !
Aerias natura dedit, pro moenibus, Alpes :
moenia nec ferro, nec penetranda nitro.
Sed neque tam forti vallatos aggere muros,
prodigio Babylon annumeranda, tulit.
Pinguia montanas ludunt armenta per herbas,
tondentque in summis pascua laeta jugis.
Prata suos, hinc inde, bibunt uberrima rivos,
efficiuntque ipsum luxuriare solum.
Alma Ceres largas diffundit in horrea messes,
praebentque exculti nobile fenus agri.
Ornat Iaccho hilares creberrima vinea colles,
foetuque eximium dant locuplete merum.
Squamigerum vitreis genus omne resultat ab undis.
Ne facile est amnes, nec numerare lacus.
Dulcior haud usquam est Acheloius humor, et ipsi
paene Choaspi aequas advena potat aquas.
O grati latices : ex imis lympha cavernis,
limpida ab excelsis prosilit unda petris
corporibus suaves dant terrae viscera thermas ;
protegit imo ipsus viscera vestra polus,
quaesitae toties, sub opaca silentia, caedes,
saevaque nocturnis arma parata dolis,
tentarunt vestras si evertere funditus urbes ;
obvia si immani dedere quaeque neci :

detectae insidiae, patefacti civibus hostes,
nox caeca in rutilum paene redacta diem,
quam clare perhibent, jam tunc placidissima caeli
numina pro vestris invigilasse focis.
Hanc Superum curam nulla umquam oblitteret aetas.
Mergat Lethaeas nulla Charybdis aquae.
Fons ille omniparens, ac dia uberrimus unda,
indelibati viva scatebra Boni,
gratiae abundantem qui ex aetheris arce saginam
impluit, et vestram sic benedixit humum,
in sibi grata suos derivat corda liquores :
stabit in ingrato Gratia rara sinu.